



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et
Exercitiis Accommodatæ Libri IV**

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Ex Tertia Parte.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

mericam, ut suprà Contr. 34. ex Angel. Magistro ostensum est, particulam diminuentem, *quantam*, adjecit, quam Notam constanter etiam in aliis locis adhibuit, E. G. 3. p. q. 1. a. 2. ad 2. & 3. dist. 1. a. 2. ad 5. & dist. 0. q. 1. a. 2. & hujus loco substituit adverb. 2. *Quodammodo*. 4. dist. 16. q. 3. a. 2. q. 5. inquit: *Mortalia quantitate infinitam NB. quodammodo habent.* [Secundò, (pergit S. D.) ex bono, quod per peccatum auferebatur, quod est infinitum, scilicet ipse Deus, cujus participatione fiunt homines beati.] Quibus Verbis, sicut Visio Beatifica, quæ est participatio Boni infiniti, est tantum infinita secundum quid, vel terminativè, eò quod ejusdem termini simpliciter infiniti, non sit infinitè perfectà participatio, sed sit possibilis perfectior in infinitum, sicut etiam peccato, tanquam causali amissioni Boni infiniti solummodo tribuitur infinitas secundum quid seu terminativè, ut Contr. 35. ex S. Thoma demonstravi: propterea S. D. iterum assignat novam rationem annexæ limitationis per vocem *Quandam*. [Tertiò, (inquit ulterius S. D.) ex ipsa natura, quæ corrupta erat, quæ quidem infinitatem *Quandam* (utique non *Moralem*, sed *Limitatam*) habet, in quantum in ea possunt supposita in infinitum multiplicari.] Ad eòque habet infinitatem non categorematicam, ac perfectam, sed syncategorematicam, & talem vim inficendi plures & plures homines habet etiam peccatum, nempe limitatam per particulam *Quandam*, vi cujus negatur posse dari infectionem simpliciter infinitorum hominum actu.

332. Et ex his tribus causis infinitatis secundum quid seu *cujusdam*, non malè conclusit S. D. (ut immeritò veretur Adversarius) opus esse, ut satisfactio condigna habeat virtutem infinitam, seu, ut ait S. Th. 3. p. q. 1. a. 2. ad 2. *Efficaciam infinitam, utpote DEI, & hominis existens*: partim quia ex dignitate personæ contempta, & per satisfactionem placandæ, contemptus Divinus geometricè crescit, & e contra valor satisfactionis decrescit, nisi satisfaciens sit infinitæ dignitatis, transfundens Valorem infinitum, & incapacem decrementi: partim quia terminus recuperandus erat Bonum simpliciter infinitum, Vis autem demeritoria peccati originalis erat etiam extensivè ad personas reconciliandas syncategorematicè infinita, proinde necessè fuit, ut tam multis indignis, & quidem indignis tanti Boni, correspoderet valor satisfactionis & meriti, qui esset à magnitudine Boni, & multitudine indignorum inexhaustibilis, nim. infinitus; etiam si peccatum modis prædictis tantum haberet infinitatem *Quandam*, quam particulam S. D. secundo loco, ab Adv. citato, non ideo iterum omisit, ut assereret infinitatem malitiæ simpliciter, sicut neque ut assereret infinitatem physicam, sed quia ex aliis verbis, in textu

positis, satis intelligitur infinitas secundum quid per comparationem aversionis ad terminum à quo, infinitum, ratione tamen solum finitè participabilem, juxta secundum modum paulò antè ex S. D. relatum.

333. Ad alterum, quod in fine suæ Thesīs subjungit Adversarius, inquit: [Quia verò D. Thomas ibidem notat, non esse infinitum infinito majus, (saltem materialiter, ob id, quod habet hic q. 10. a. 3. ad 3.) ideo Haunoldus l. c. n. 13. dicens, quod alia peccata aliis magis à DEO avertant, non rectè sensit, si Theologicè loquendo aversio à conversione distinguatur, & consideretur præcisè, ut est offensà Personæ infinitæ.] Respondetur P. Haunoldum rectè & cum S. Thoma sensisse, negando suppositum, quod peccatum sit simpliciter infinitum, & quod proinde non possit unum esse majus altero in ratione aversionis, non quidem ex parte termini simpliciter infiniti, sed ex parte ipsius actus, quatenus tantò magis est contemptivus, quanto gravius est prohibitus. Unde cum hoc ipsum argumentum Adversarii S. D. sibi objecisset q. 2. de malo a. 9. ad 5. his verbis: [Infinitum non est majus infinito: sed quodlibet peccatum mortale est infinitum; quia est contra bonum infinitum, quod est DEVS: unde & poenam infinitam meretur. Ergo unum peccatum non est majus alio.] Sic respondit. [Dicendum quod à Bono infinito aliquis NB. avertitur actu finito: & ideo peccatum essentialiter NB. finitum est, licet habeat aliquam habitudinem ad Bonum infinitum.]

CONTROVERSIA LXXIV.

SATISFACTIO CREATURÆ.

Quâ Ratione hæc sit impossibilis pro Peccato mortali.

334. EX dictis præcedenti Controversiâ, quomodo S. Thomas ex tribus causis, infinitatem *quandam* in peccatum mortale transfundentibus, rectè intulerit, ad DEVM condigna satisfactione placandum, necessariam esse efficaciam satisfactionis infinitam, præstitam ab Homine Deo, manifestè colligitur, quod eodem modo etiam P. Haunoldus lib. 4. n. 66. possit DEI, à pura creatura, quantumvis sanctâ, implacabilitatem salvare, etiam si peccato denegetur absolutam infinitatem. Imò nisi hæc denegetur peccato, non potest Adversarius salvare, quomodo condigna satisfactio Hominis DEI, habens efficaciam infinitam, fuerit *superabundans*, eò quod ipse Adversarius testimonio S. Thomæ

priori Controversiâ allato, compulsus fatetur, unum infinitum non esse majus altero, si ambo sint absolute infinita: Si autem peccatum mortale sit tantum quodammodo, seu secundum quid infinitum, satisfactio Christi verò sit absolute & simpliciter infinita faciliè ostenditur, quo pacto illa fuerit *superabundans*, teste S. Thoma. 3. p. q. 48. a. 2.

335. Nunc ergo tantum ad Contrarias rationes Adversarij respondendum est, quibus pro peccato *infinita malitia secundum quid* placabilitatem DEI per satisfactionem puræ creaturæ frustra persuadere conatur. Primò inquit, [Licet persona creata, actum Charitatis eliciens, secundum se considerata, sit ordinis inferioris ad offensam; tamen ut exornata gratiâ sanctificante, Ordinis est Divini, & consequenter in eodem ordine cum offensa.] Hoc argumentum nimium, adeoque nihil probat, & supponit falsum. Si enim ad condignam satisfactionem sufficit, quod sit ordinis Divini, sicut offensa; sequitur, quodvis opus supernaturale, à pura creatura in statu gratiæ pro satisfactione DEO exhibitum, pro qualibet gravitate & multitudine Divinæ offensæ, condignè satisfacere: & hoc est nimium.

336. Id verò, quod supponitur, etiam est falsum; quia non ideo satisfactio puræ Creaturæ pro offensa secundum quid infinita statim esset condigna, eò quod esset ordinis Divini sicut offensa; (imò offensa non est Ordinis Divini, si per hunc intelligatur ordo supernaturalis, ad quem elevatur satisfactio in statu gratiæ, sed est offensa naturalis, Personæ Divinæ) Verum ideo implicat, quod quantacunque satisfactio puræ creaturæ in statu gratiæ, & ordine supernaturali exhibita, sit condigna: quia offensa secundum proportionem geometricam tantò est gravior, quantò Major & Dignior est persona læsa; satisfactio verò tantò est levior, & contemptibilior, quantò major est distantia dignitatis inter personam satisfaciendam, & inter eam, cui fit satisfactio. cum ergo status gratiæ, seu Filij duntaxat Adoptivi, non tollat infinitam distantiam inter satisfaciendam puram creaturam, & inter Deum læsum, hinc Deus habet omnimodam implacabilitatem per quantamcunque satisfactionem puræ Creaturæ, etiam sanctificatæ per gratiam.

337. Quapropter cum D. Thoma hic q. 1. a. 2. ad 2. non aliunde, quàm ex eo, quod peccatum habeat infinitatem Quandam (quam particulam Adversarius ex textu S. Thomæ hic expunxit, utpote valde sibi inimicam) seu vim offensivam, quacunque satisfactione puræ creaturæ graviores, P. Haunoldus ita infert per Verba S. Thomæ: Unde oportuit ad condignam satisfactionem, ut actus satisfaciens haberet effectum infinitum, utpote DEI & hominis exiens.

338. Secundò opponit Adversarius, [Nec ad satisfactionem æqualem necessaria est æqualitas satisfaciens, cum persona offensa; sed sufficit æqualitas satisfactionis cum injuria; aliàs contra communem Theologorum sententiam, pro peccato Veniali non posset creaturæ condignè satisfacere; nisi ergo offensa mortalis statueretur simpliciter infinita, non erit Ordinis Superioris ad omnes actus satisfactorios creaturæ.] Respondetur, ad satisfactionem æqualem universaliter quidem non esse necessariam æqualitatem satisfaciens cum persona offensa; si tamen hæc sit infinitæ dignitatis, ut proinde offensio sit infinita secundum quid, requiri æqualitatem satisfaciens cum persona offensa, ut eam in cit. textu omnino requirit S. Thomas; quia illa non posita, offensio DEI propter infinitatem secundum quid, est major quantacunque satisfactio personæ inæqualis, illa verò posita satisfactio Hominis DEI est maior propter absolutam infinitatem quibuscunque offensionibus DEI. Unde impossibile est poni satisfactionem pro peccatis mortalibus purè condignam; si enim ponatur à pura creatura, est insufficientis, si ab Homine DEO, est superabundans; atque adeò offensio DEI, & satisfactio nunquam possunt esse ejusdem ordinis quoad æstimabilitatem in suo genere, id est, offensivo, & reconciliativo.

339. Ad institutam verò paritatem peccati mortalis cum Veniali P. Haunoldus facile assignabit rationem disparitatis, quippe is lib. 4. n. 2. negat suppositum, quod peccatum Veniale sit propriè offensa DEI, eò quod non sitaversio à DEO, vel dissolutio amicitie, de cujus ratione est, ut amicus se non præbeat implacabilem amico propter actiones, non contra illius, sed præter illius Voluntatem positas. Quæ responsio fundatur in expresso Testimonio S. Thomæ, qui q. 7. de Malo a. 1. ad. 1. ait: Dissolutio peccati perfectè quidem convenit peccato mortali; imperfectè autem & secundum quid peccatum Veniale. Unde convenienter dicitur, quod peccatum veniale non est contra legem, sed præter legem. Et ibid. a. 2. ad 10. inquit, Dicendum, quod peccatum veniale, cum non importet aversionem, propriè loquendo, non habet rationem offensæ.

340. Denique concludit Adversarius in am Thesin his Verbis. [Quod autem per peccatum formaliter solum excludatur Bonitas actus finis, ut objicit Haunoldus l. c. n. 16. solum probat, id, in quantum est malum hominis, delictum gravitate simpliciter infinita. Sed quis in hoc contradicit?] Quam clausulam Adversarius impertinenter ponit in hac Thesi, ubi ex supposita infinitate peccati tantum secundum quid constituit, evincere placabilitatem DEI de condigno per satisfactionem puræ Creaturæ: spectat enim potius ad priorem Thesin, ubi ipsum suppositum impugnatur. Deinde objectio prædicta P. Hau-

P. Haunold etiam probat, peccatum mortale destitui quoque gravitate simpliciter infinita, in quantum est malum DEI; quia DEVS tantò gravius contemnitur, & offenditur, quantò gravius præcipit actum bonum, qui per peccatum formaliter excluditur, quatenus non continet bonitatem actus præcepti. Vnde licet terminus, à quo aliquis avertitur per peccatum mortale, semper sit idem, & simpliciter infinitus, modus tamen se avertendi à DEO contra legem, gravius vel leviùs præcipientem, est inæqualis, & ideo peccatum mortale etiam in quantum est averso à DEO, & est inæquale consequenter nullum est simpliciter infinita malitia.

CONTROVERSIA LXXV.

DIGNITAS SATISFACTIONIS.

An hæc crescat ex Dignitate satisfaciens.

341. Quemadmodum infinita Dignitas Christi merentis, & satisfaciens, est ratio formalis, ut ejus merita, licet non acquirant infinitam intensiorem, aut bonitatem moralem, dignificentur, & extollantur ad Valorem simpliciter infinitum, ita P. Haunoldus lib. 4. n. 129. Jure merito concessit, quòd quia dignitas major personæ augeat Valorem operis, etiam plus præmii pro æquali opere accepturus essetis, qui esset sanctior, quàm qui esset minùs sanctus. Quam assertionem probavit clarissimo Testimonio S. Thomæ 2. dist. 29. a. 4. in C. ad quod nec Verbulum respondit Adversarius: Textus autem S. D. sic sonat. [Dicendum, quòd cum meritum non consistat in habitu, sed in actu, nec in actu quolibet, sed in eo, qui per habitum Gratiae NB. informatur. Actus autem omnis meritorius ex Voluntate procedat, oportet, quòd meritum aliquid habeat NB. à Gratia, & aliquid à voluntate, & aliquid ex objecto actus. Vnde species actus trahitur: & ideo ex his tribus efficacia merendi, mensurari potest, ex Gratia, Voluntate, & objecto. Quantò enim NB. majori Charitate, & Gratiâ actus informatur, tantò magis est meritorius.] Ita S. Doctor, cujus tam aperta sententia non debuit dissimulari, longè minùs refutari ab ejus Discipulo. Idque exemplis humanis illustrari potest. Si enim summus aliquis belli Dux, & gregarius miles prorsus simile obsequium Cæsari præstitissent, v.g. prodicionem seu occultam conjurationem contra Cæsarem, detexissent, majus utique præmium decernendum esset Duci, quod

scil. Dignitati ejus consentaneum esset, quàm gregario militi decerneretur, licet Dignitas Ducis nihil perfectionis aut intensiorem, aut influxus physici actioni meritoriae contulisset.

342. Vnde Adversarius frustra laborat in assignanda disparitate inter gratiam sanctificantem, & inter Personam Verbi Divini, ut salvâ hujus virtute dignificandi meriti Christi infinitè, deneget gratiæ vim dignificandi ultra bonitatem & intensiorem propriam actus meritorij. Dum ait: [Cum gratia sanctificans sit habitus, subditur Voluntati quoad usum, & solum dignificat secundum influxum, quem præstat: Vnde sicut nullatenus dignificat, si nullatenus influat, ut contingit, quando homo iustus non utitur gratiæ influxu, sed in actum mere naturalem prorumpit; ita cum influit, non dignificat, nisi juxta quantitatem influxus; ac proinde, si, quamvis gratia sit intensa ut octo, non influat nisi ut quatuor, solum præstat dignitatem ut quatuor: aliâ intensiōe solum concomitanter se habente; Persona autem Verbi non subditur usui libero Voluntatis; cum substantialis sit, & non possit Voluntas sine Personæ concursu operari; ideoque dignificat secundum totum, quod potest, & per consequens infinitè, juxta S. Thomam hic q. 48. a. 2. ad 3. dicentem: quòd dignitas carnis est æstimanda secundum Personam assumptam, in quantum scilicet erat caro DEI, ex quo habebat dignitatem infinitam.]

343. Hæc enim disparitas partim supponit falsum, partim est impertinens. Quia nimirum nec gratia sanctificans, nec Persona Verbi dignificat merita in genere Causæ efficientis, ideo supponit falsum; S. Doctor quippe loco cit. Personæ Verbi tantum tribuit vim dignificandi in genere Causæ formalis, quatenus per Unionem transfundit in carnem dignitatem DEI, in merita hoc ipso transfertur denominatio, quòd sint merita Personæ, habentis dignitatem infinitam, adeoque infinitam Vim merendi, ac satisfaciendi: aliàs si in genere causæ efficientis tantum Verbum Divinum dignificaret merita, producendo bonitatem intrinsecam & intensiorem illorum, hoc ipso non tribueret illis Valorem infinitum, quia non tribuit bonitatem, & intensiorem infinitam. Pari ratione gratiæ sanctificantis S. D. supra relatus, adscribit Vim dignificandi in genere Causæ formalis, quatenus immediatè personam merentem, & hac mediante actum illius meritorium informat, & hoc sensu S. D. 1. 2. q. 114. a. 3. in corp. de Virtute gratiæ dignificandi, & reddendi meritum condignum Vitæ æternæ, ait: [Attenditur etiam pretium operis secundum dignitatem gratiæ, per quam homo confors factus Divinæ naturæ adoptatur in Filium DEI, cui debetur hæreditas ex ipso Jure adoptionis.] Vnde licet gratia nullatenus dignificet actum, si nullatenus

influat in actum mediante habitu Virtutis supernaturalis, (quod aliàs non daretur id, quod esset dignificandum) non tamen dignificat per solum influxum, aliud enim est influere, & aliud, dignificare. Ex quo ulterius patet, disparitatem assignatam ab Adversario quoad modum influendi, non autem quoad modum dignificandi inter gratiam, & Personam Verbi, esse impertinentem; proinde non debuisse suam Thesin sic concludere: *quam disparitatem non perpendit Haunoldus*: sed sic: *quam disparitatem parvi pendit Haunoldus*.

CONTROVERSIA LXXVI.

MOTIVUM INCARNATIONIS.

An istud potuerit Christo esse Occasione Gaudij Speculativi de Peccato Adami.

344. **N**ecessè est, Adversarium fateri, quod vel Ecclesia in Sabbato sancto absurdè canat: *O Felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem*: vel quod P. Haunoldus lib. 4. n. 200. *Non absurdè existimaverit*. [Tam parum esse absurdum, Christum gaudio speculativo gaudere de peccato Adami, sine quo non fuisset futurus, quam quod Martyres multi gavisi sint de persecutione Tyrannorum.] Ex hoc enim, quod S. Thomas 2. 2. q. 124. a. 1. ad 3. de Martyrio sic loquatur: *Non debet homo occasionem dare injustè agendi, sed si quis injustè egerit, ipse moderatè tolerare debet: non eo ipso negat, (ut inconsequenter deducit Adversarius) Martyres de persecutione Tyrannorum activè, utpote injustè licitè fuisse gavisos gaudio Speculativo*: Nam per allegata Verba non debet homo occasionem dare &c. tantum excluditur gaudium Practicum, quod scilicet per oblatam occasionem positivè induktivam est causa injustè agendi. Imò S. D. I. c. a. 3. ad 1. agnoscit ut actum perfectionis: *cum ex Zelo Fidei, & charitate fraterna multotiens leguntur Sancti Martyres sponte se obruisse martyrio*, & sic datà occasione solummodo permissivà, speculativè deinde gavisi esse de illatione Martyrij, tanquam de collatione rei desideratæ.

345. Neque hoc gaudium Adversarius rectè nititur tollere ab ipsis, dicendo. [Sicut desideranti rem aliquam absentem, non propterea illius absentia placet; sed quemadmodum peccatum, licet in positivo consistens, ideo sub ratione deformitatis, entitati actus identificatæ, non est à DEO, quia non continetur sub objecto Omnipotentis Divinæ; nec clau-

dicatio oritur à Virtute progressivà, sed à tibia curva, sic licet Verbum non fuisset incarnatum, Adamo non peccante, tamen ad gaudendum nescio quo speculativo gaudio de peccato, se Voluntas Christi impeccabilis (idem vult dicitur de Voluntate Martyrum) non extendit.] Ad primam quippe paritatem inter desiderium rei absentis, & inter gaudium speculativum de peccato, ratio disparitatis hæc ab Adversario advertenda fuisset, quia absentia rei desideratæ non est medium vel causa obtinendi rem absentem, & ideo absentia non desideratur: Peccatum vero Adami est aliquo modo causa Incarnationis & existentis Christi; similiter peccatum Tyrannorum est aliquo modo causa persequutionis Martyrij: Vnde sicut licitum est gaudium speculativum de effectu, ita etiam licitum est de causa, vel de eo, sine quo non daretur effectus.

346. Rectè itaque videtur Adversarius aliqualem ignorantiam falsus esse his Verbis: *Nescio quo gaudio speculativo de peccato*: nam planè videtur, non satis intelligere modum tenendi, & rationem motivam gaudij speculativi, quæ in peccato reperitur; quorum utrumque patebit ex ipsius actus expositione, quæ talis est. Displicet mihi quidem peccatum, quatenus est offensiva DEI, ex suppositione tamen, quod illud sit independens à mea actuali cooperatione, gaudeo, quod habeat conducentiam, & à DEO ordinetur ad talem effectum, mihi tam bonum, qui sine ejus existentia non fuisset futurus. Et sic quemadmodum DEVS affectu permissivo potest tendere in ipsam deformitatem peccati, non intendendo illam & per se causando, sed ab arbitrio creato liberè positam ordinando ad bonum effectum, sic Voluntas creata potest de conducbilitate & ordinabilitate, aliunde supposita, speculativè gaudere. Vnde altera paritas, ab Adversario objecta, nobis servit ad declarationem gaudij speculativi de peccato non præcisè quæ tali, sed de ratione motivâ, illi, annexa. Et hoc modo gaudet Ecclesia de culpa Adami, tanquam felici, id est, conducente ac ordinabili ad suam felicitatem: ac proinde propter receptum à tota Ecclesia loquendi modum, non est periculum hæresis, cujus cautelam incautè Adversarius objicit hac Thesi suæ clausulâ. [Vbi saltem, quia ex Aquinate 1. p. q. 31. a. 2. etiam ex Verbis inordinatè prolatis incurritur hæresis, est cum Majori cautela loquendum.]



CON-

CONTROVERSIA LXXVII.

VNIO HYPOSTATICA.

Quid sit.

347. **H**ÆC Controversia inter P. Haunoldum lib. 4. a. n. 224. usque ad n. 231. explicantem, in quo Unio hypostatica consistat, & inter Adversarium, arbitrantem se id præstare distinctius, aliâ compositione non indiget, quàm ut Adversario locum indicem, in quo P. Haunoldus eadem prædicata essentialia unionis exponit, & insuper alia, quorum Adversarius ex S. Thoma mentionem facit, & quorum facere oblitus est. Primò dicit Adversarius; [Præter naturam humanam & Personam Verbi, requiri aliquam superadditam realitatem, ut extrema sint unita, manifestum est ex eorum separabilitate; & Thomistæ solum cum D. Thoma 3. dist. 2. q. 2. a. 2. in corp. dicunt, quod in humana natura Unione ad Divinam, nihil potest cadere median formaliter unionem causans; cui per prius humana natura conjugatur, quàm Divine persona. Ceterum, post eundem idid, ad q. 3. asserunt, ex hoc, quod motus assumptionis humane nature terminatur ad personam, consequitur hæc relatio, quæ dicitur Vnio.] Hanc realitatem superadditam extremis ex eorum separabilitate etiam probat P. Haunoldus n. 224. longè fusiùs. Et n. 226. ait, eam consequi ex motu assumptionis, eò quod assumptio importet productionem Unionis. Verum insuper ostendit, quia Unio, ut inquit S. Thomas 1. dist. 30. a. 2. ad 4. considerata secundum habitudinem ad terminum, sic terminatur ad Personam Filij, in qua est facta Vnio, sed secundum habitudinem ad principium, sic refertur ad totam Trinitatem, quæ Unionem fecit: ideo rectè dici, Humanitatem à sola Persona Filij esse assumptam; quod Adversarius non insinuat; sed mox pergit, & dicit secundò. [Cujus relationis essentiam S. Th. hic q. 2. a. 7. sic exponit; Vnio, de qua loquimur, est relatio quedam, considerata inter naturam Divinam & Humanam, secundum quod conveniunt in Una persona Filij DEI. Ibidemque subjungit, eam realiter esse in creatura.] Idem asserit P. Haun. n. 227. dicens, quod Unio sit actualis & ultima determinatio ad esse unitum; unde non potest existere sine extremis, tanquam terminis ad se mutuo relatis, ac connexis, & præcedenti numero addit rationem, quare unio in sola humanitate, & non in Persona DEI recipiatur, tanquam in subiecto perfectibili, quam Rationem S. Thomas l. c. expressit his Verbis: *Realiter quidem est in Creatura (per cuius mutationem talis relatio innascitur) non autem est realiter in DEO, sed secundum rationem tantum: Quia non innascitur secundum mutationem DEI.*



348. Hanc doctrinam sui Magistri Adversarius iterum silentio pertransivit; sed ex eodem solummodo excrispit definitionem, non unionis, sed assumptionis, seu unionis, quatenus respectu personæ assumptæ est actio, denominans illam assumptam, & respectu humanitatis est Passio, denominans illam assumptam: de cuius assumptionis reali distinctione ab Vnione, & ratione denominandi solum Filium DEI assumptem, & humanitatem assumptam, locutus est P. Haunoldus n. 226. Qui insuper alia duo prædicata Vniopis hypostaticæ expressit, ab Adversario, non autem à S. Thoma neglecta; nempe quod Vnio sit *substantialis* juxta S. D. hic q. 2. a. 6. ad 2. & 3. Et quod sit *supernaturalis*, quia teste S. D. a. 10. in corp. per illam humana natura *elevatur in DEVM*, cum sit *(supra) naturalis* suæ nature. Vnde ad subjunctam ab Adversario suæ thesæ clausulam, quæ, inquit ille, non exposuit Haunoldus, ut oportebat, occurrit illud Poëtæ: *Mutato nomine, de te Fabula narratur.*

CONTROVERSIA LXXVIII.

TERMINVS VNIONIS.

Concilij Toletani de hoc Sententia refertur.

349. **P**ROPOSITIONEM dogmaticam, in Symbolo Fidei Concilij Toletani expressam, & propterea ex intentione pariendi sensum absolutum, & completum, sine restrictione mentali prolatam, quæ dicitur *Solus tamen Filius suscepit humanitatem in singularitate Personæ, non in Vnitate Divinæ Naturæ*, id est, in eo quod proprium est Filij, non quod commune est Trinitati, P. Haunoldus lib. 4. n. 234. sine doctrinæ inconsequentia, rectè negavit, exponi posse ad modum propositionis imperfectæ, & incompletæ, cum restrictione mentali quandoque ex rationali causa licet prolata: Cum enim vis significandi juxta S. Thomam determinetur ab intentione loquentis, ut Contr. 72. ex S. D. ostensum est, & propositiones à Concilijs ex intentione omnibus fidelibus declarandi articulos Fidei enunciatae, ad eum duntaxat sensum referantur, quem Verba explicitè & sine reservatione aliorum Verborum continent, non nisi falsò & ridiculè in alio sensu exponerentur, si v. g. propositio simpliciter negans, Vnionem hypostaticam immediatè terminari à Natura Divina, explicaretur per additionem Verborum *tanquam à termino adequato*: *ut in Concilio Toletano dicitur: sicut*

sicut etiam ista propositio : *Volitio mea procedit à me, & non à DEO* : enunciata ex intentione pariendi sensum perfectum , & explicitè , ac completè expressum , prædicto Iudice P. Haunoldo , & omnium consensu , ridiculè & falsò explicaretur adjiciendo hæc Verba : *tanquam à causa adequata*. Ex hoc tamen non legitime inferitur , quòd urgente rationabili causâ , non liceat , aliquando efferre Verba ex intentione non perficiendi integrum sensum , quando hinc neque erroris in fide , neque alterius injusti damni , auditori occasio præbetur , sed solummodo veritas justè celatur : Quam doctrinæ disparitatem , si advertisset Adversarius , non tam leviter fuisset inductus , ad gravem inconsequentiam & ignorantiam Censuram Viro in Academicis & editis libris celeberrimo in calca suæ thesisi per abusum testimonij D. Aquinatis indecorè inferendam.

CONTROVERSIA LXXIX.

SANCTITAS HUMANITATIS.

An ea tribuatur , Humanitati à Verbo Divino.

350. PRO affirmativa responsione , quòd scilicet Humanitas Christi sanctificetur etiam formaliter à Personalitate Verbi , ut virtualiter distincta à Natura Divina , P. Haunoldus lib. 4. n. 266. non tantum non est nixus illo supposito , quòd Adversarius immeritò ipsi tribuit , & veluti falsum unicè in sua thesi impugnât ; sed ipse P. Haunoldus l. c. expressè protestatur , se in illo supposito , quòd nempe Personalitas Verbi sit quædam Sanctitas Relativa in Deo , nolle fundare suam conclusionem , utpote in fundamento incerto. Itaque Adversarius non in hostem , sed in aërem suum telum excussit , probans id , quòd P. Haunoldus non negat , sed potius affirmat l. c. & lib. 1. n. 587. conformiter S. Doctori I. p. q. 42. a. 4. ad 2. Fundamentum autem , quo præsentem suam conclusionem stabilivit , his verbis proposuit. [Personalitas Verbi dignificat formaliter opera Christi supernaturalia , in ordine ad præmia supernaturalia , & quidem tanquam prima Radix in Persona Christi , ut homo est : ergo sanctificat Humanitatem.] Eodem Fundamento usus est S. Thomas. 1. dist. 17. q. 2. a. 4. ad 3. & dist. 44. a. 3. ad 2. Vbi asserit in Christo Sanctitatem gratiæ habitualis esse finitam , Unionis autem ad Verbum esse infinitam , quia reddit operationem Christi infiniti Valoris , in quantum est operatio Divina Persona. Id ipsum P. Haunoldus rursum confirmavit his verbis. [Dignificatio operum in Ordine ad præmium supernaturale & dignum Filio DEI , est Sanctitas , quia constituit

Filium DEI , seu Naturalem , seu Adoptivum.] Quam Rationem iterum approbavit S. D. 3. p. q. 7. a. 11. in corp. inquit. *In Christo potest duplex gratia considerari. Una quidem est gratia Unionis : quæ est ipsum univèrsum Personaliter Filio DEI : & hanc gratiam constat esse infinitam , secundum quod ipsa Persona Verbi est infinita.*

351. Quando ergo querit Adversarius : [Quomodo Personalitas Verbi , Sanctitatem , quam non importat , prout à Natura distinguitur , dabit Humanitati Christi ?] Respondetur , Personalitatem Verbi per hoc , quòd sit Filiatio Naturalis , seu Acceptio Naturæ Divinæ , & Perfectionis infinitæ , adeoque etiam Sanctitatis , per Unionem communicare Humanitati denominationem Filij DEI , & denominationem Sancti , Acceptione Sanctitatis infinitæ. Quia enim Verbum , non obstante distinctione Virtuali à Natura Divina , ab eadem Realiter non distinguitur , sed quia potius est Acceptio per identitatem realem omnis perfectionis Naturæ Divinæ , ideo eatenus sanctificat Humanitatem , quatenus Realiter est infinite perfectum , etiam perfectione infinitæ Sanctitatis.

352. Propterea debuisset Adversarius distinguere inter hæc duo : Personalitas , ut Virtualiter distincta à Natura , & à Sanctitate absoluta , sanctificat Humanitatem : & Personalitas sanctificat independentè à reali identitate cum Natura & Sanctitate absoluta. Sicut enim non dignificat infinitè , independentè ab infinita dignitate Naturæ , & sicut non facit Filium DEI Naturalem , independentè à communicatione ejusdem Naturæ Divinæ ; ita etiam non sanctificat independentè à communicatione Sanctitatis Absolutæ ; prout etiam Natura & Sanctitas ipsius absoluta non sanctificat independentè à Personalitate Verbi , qua mediante unitur & communicatur Humanitati. Adeoque Natura sanctificat Humanitatem dependentè ab identitate reali cum Verbo , quia hæc identitas facit , ut Sanctitas Naturæ Divinæ sit unita Humanæ , Verbum autem sanctificat Humanitatem dependentè ab Identitate reali cum Natura Divina , quia hæc identitas facit , ut Verbum unitum habeat Sanctitatem infinitam , quam communicet Humanitati.



CON-

CONTROVERSIA LXXX.

MERITVM INCARNATIONIS.

An Progenitores Christi & Antiqui Patres eam de Congruo promeruerint.

353. **N**ON expresse contra S. Thomam, ut objicit Adversarius, sed expresse cum S. Thoma P. Haunoldus lib. 4. n. 341. dixit. [Antiqui Patres, qui præcesserunt tempore Christum, nequidem de congruo promeruerunt Substantiam Incarnationis.] Hanc assertionem probat Autor ratione S. Thomæ, quam prius Verbis ipsius Autoris, deinde S. Doctoris proponam. P. Haunoldus ita loquitur. [Omnia dona supernaturalia Antiquorum fuerunt præmia meritorum Christi: sed merita Christi ut condigna, constituuntur formaliter per Unionem hypostaticam, ut dictum est; ergo merita Antiquorum fuerunt præmia meritorum Christi, ut includentium Unionem hypostaticam: ergo ipsa Unio non fuit præmium meritorum, Antiquorum Patrum: quia non possunt sibi duo esse mutuo præmia.] Hanc rationem S. Doctor 3. dist. 4. q. 3. a. 1. in C. His verbis expressit. [Illud quod est principium merendi, non potest cadere sub merito: Incarnatio autem est quodammodo principium omnium humanorum meritorum, quia omnia nostra merita à Christo efficaciam habent, per quem Veritas & gratia facta est.] Eandem rationem S. D. utroque loco ab Adversario relato, similibus planè verbis repetit, & pugnat contra utrumque meritum, tam congruum, quam condignum, si congruum etiam pro Impetratorio; sed minus proportionato, cum prioritate tamen naturæ præcedente, sumatur; sic enim utique non potest præcedere suum principium, nempe Substantiam Incarnationis. Unde S. D. 3. p. q. 2. a. 11. in concl. discretè dixit. [Nulla neque Christi, neque aliorum merita Divinam Verbi Unionem præcesserunt, cum ea sit supra omnem Beatorum unionem, & principium omnis meriti.]

354. Dixi: Si meritum Congruum pro impetratorio sumatur. Nam si tantum pro dispositione, & præparatione ad congruè, id est, decenter recipiendum beneficium Incarnationis accipitur, ita ut eam non impetratoriè causet, sed tantum cohonestet atque exornet, veluti si subditus exornet suam domum, quam Rex promissit se subiturum, independentem ab hac exornatione præmiandâ, verum præsupponente potius ipsam

promissionem beneficij prorsus gratuiti, hoc sensu facile concedit P. Haunoldus, cum S. Thoma lib. 3. ad Annibaldum dist. 4. q. unico. a. 4. in C. quem locum dimidiatè allegavit Adversarius, quod SS. Patres, ut inquit S. D. Incarnationem meruerint merito Congruo, scilicet NB. se ad suscipiendum tantum beneficium præparando. Et sic cit. q. 2. a. 11. ad 3. dixit idem S. D. [Beata Virgo dicitur meruisse portare Dominum omnium: NB. non quia meruit ipsum incarnari; sed quia meruit ex gratia sibi data illum Puritatis, & Sanctitatis gradum, ut congruè (id est, decenter.) posset esse Mater Dei.] Si autem juxta S. Thomam ipsa B. Virgo solummodo isto improprie dicto merito de congruo promeruerit Incarnationem, jam suppositâ, ut S. Thomas l. c. ad Annib. ad 3. ait. Incarnatione faciendâ, multo magis alij SS. Patres tantum improprie dicto merito Congruo Substantiam Incarnationis meriti sunt.

355. Vnde quando Adversarius P. Haunoldo improprium loquendi modum his Verbis vult interdicere. [Quomodo elabatur Haunoldus, nisi forsitan confugiat ad questionem de nomine? hoc ipso non audiendus. Etenim si loquendum cum multis (quemadmodum ex Aristotele passim notant Authores) maxime cum Aquinate, eò quod illius doctrina, teste Innocentio VI. cujus elogium insertum est Ordinis Prædicatorum Breviario, præ ceteris, exceptâ Canonicâ, non solum habeat Veritatem sententiarum, sed etiam proprietatem Verborum, & modum dicendorum.] Facile responderet P. Haunoldus, se loqui cum S. Thoma, quem proinde audiat Adversarius 3. dist. 4. q. 3. a. 1. in Corp. sic loquentem: [Dicendum, quod Augustinus videtur intendere in littera, quod nulla merita illius hominis præcesserunt, ut Filio DEI in Persona uniretur; nihilominus tamen verum est, quod nulla merita etiam aliorum Filij DEI Incarnationem meruerunt, NB. proprie loquendo, propter tres rationes.] Et cum singulas recensuisset, tandem concludit: [Quod tota plenitudo Divinitatis habiter in homine, hoc excedit & conditionem & meritum humanum; unde NB. nullo modo (id est, nec de condigno, nec de Congruo) potest cadere sub merito, nisi NB. Large meritum dicamus omnem Præparationem ad aliquid habendum, quod præcessit in humano genere.] Quid expressius?

356. Sed pro merito Impetratorio de Congruo Incarnationis quoad Substantiam, instat Adversarius his Verbis. [S. D. hic q. 2. a. 11. inquit: Ex congruo meruerunt SS. Patres Incarnationem, desiderando, & petendo; quæ Verba denotant Angelicum Præceptorem loqui de Substantia Incarnationis, & non solum de Circumstantiis illius; nam SS. Patres non solum

Z 2

defi-

desiderabant, & petebant accelerationem, aliasque circumstantias, sed ipsum etiam Christi adventum. Ideo ex S. D. l. c. congruum erat, ut DEVS exaudiret eos, qui ei obediebant.] Audiat nunc Adversarius, quam expresse S. Thomae contradicat: ille enim 3. dist. 4. q. 3. a. 1. ad 4. sic scribit. *Dicendum, quod ipsi NB. non petebant Incarnationem, quam indubitanter credebant futuram: sed petebant eius accelerationem.*

CONTROVERSIA LXXXI.

POTENTIA CHRISTI.

An scil. illius Humanitas & Passio possit physice producere gratiam sanctificantem.

357. **Q**Uærit Adversarius, [Cur Haunoldus lib. 4. n. 619. tam securè passioni Christi *oalem* tantum concessit causalitatem? cum tamen S. Thomas hic q. 48. a. 6. in corp. & in resp. ad 3. manifestè eidem attribuat, quod agat per modum efficientiæ & per modum meriti. Nec propterea, ut videbatur Haunoldo, ponenda est aliqua qualitas operativa in morte Christi: quia non passio & mors Christi in se, utpote præteritæ, sed existentes in Humanitate, per illam realiter immutatæ, sunt instrumentum physicum, juxta S. Doctorem hic q. 48. a. 6. dicentem: *Quia Humanitas Christi est Divinitatis instrumentum, ideo ex consequenti omnes actiones & passiones Christi, instrumentaliter operantur in Virtute Divinitatis ad Salutem humanam, & secundum hoc passio Christi efficienter causat Salutem humanam.*] Hujus quaestionis solutionem Adversarius ex allatis Verbis S. Doctoris colligere debuisset: cum enim ibid. Angelicus Magister Passioni tantum tribuat efficientiam *mediatam*, uti tantum habet existentiam *mediatam* ratione Humanitatis existentis, tanquam olim subiecti sui, & adhuc retinentis effectum passionis, nempe sacratissima vulnera; hinc P. Haunoldus securè Passioni Christi *Moralem* tantum concessit causalitatem *proprie & formaliter* loquendo: quia secundum rationem prædictam *physica* causalitas Passioni tantum convenit *denominativè*, & hæc ipsa denominatio duntaxat convenit *improprie*: sicut merita & martyria Beatorum nequeunt proprie dici, producere Visionem beatificam per hoc, quod Beati eandem producant: actiones enim sunt suppositorum, non autem eorum, quæ supposita egerunt, & passa sunt; neque possibile est, ut actiones & passiones præteritæ, non ha-

bentes physicam & proprie dictam existentiam, nisi in aliquo effectu relicto, habeant physicam, & à se proprie dependentem causalitatem: præsertim quia humanitas, qua mediante physica efficientia à S. Thoma l. c. 3. p. q. 56. a. 1. ad 3. & q. 27. de Veritate a. 4. in Corp. circa fin. aliquo modo refertur in actiones & passionis præteritas, non est instrumentum ipsarum actionum & passionum, ut per illam proprie dicantur efficere, & physice producere effectus; Sed ista potius sunt instrumentum Humanitatis, & hæc est instrumentum Divinitatis, ut patet ex S. D. 3. p. q. 62. a. 5.

358. Quod si ergo contra mentem S. Thomae Passioni & Morte Christi physica causalitas salutis humanæ *immediatè & proprie* concederetur, rectè intulit P. Haunoldus l. c. per argumentum ad hominem, quem ibid. impugnavit, meritis & Passioni Christi attribuentem Qualitatem physicam gratiæ cautativam, ex illo quaerendo. [Nunquid etiam poni poterat talis qualitas in Morte, quæ est dissolutio, seu ablatio Unionis?] Ex qua proinde quaestione Adversarius advertere potuisset, quo sensu P. Haunoldus Passioni Christi solum *Moralem* & non *physicam* causalitatem concesserit; ad quam posteriorem probandam Adversarius impertinenter adduxit locum ex S. Thoma 3. p. q. 13. a. 2. in corp. Vbi S. Doctorem ait, [eo sensu affirmare Humanitatem Christi esse instrumentum ad omnes immutationes miraculosas, quo negat esse instrumentum ad creandum: clarum est autem, Christum ut hominem posse per orationem à DEO impetrare, & sic moraliter causare creationem unius Angeli. Igitur vult, illam esse non solum instrumentum morale, sed etiam *physicam* ad omnes alias actiones miraculosas.] Nam P. Haunoldus non locutus est de Humanitate, sed de Passione Christi: Ratio autem, qua Adversarius conatus est, Humanitati physicam causalitatem ex S. Th. asserere in omnes actiones miraculosas, & consequenter etiam in productionem gratiæ, de Passione Christi tantum probat *mediatè & improprie* attributam efficientiam: quæ longè expeditius potuisset probare ex D. Thoma q. 27. de Verit. a. 4. in Corp. circa finem. Vbi postquam S. D. Humanitati Christi solo contactu applicatæ expresse concessit influxum obedientialem in Salutem corporalem leprosi, & similem in Salutem animæ, nempe in gratiam sanctificantem, eundem mediaturæ concedit Sacramentis, & Passioni in dictam gratiam sanctificantem.

CON-

CONTROVERSIA LXXXII.

IMPECCABILITAS CHRISTI.

Quâ Ratione Probetur.

359. **N**escio, quomodo Adversarius in Præmonitione suarum Thesium de se in-
quiens: [Mihi firmissimè persuadeo, me iudicio eorum, qui non omnino nihil sciunt, religiosæ observantiæ limites ne hilum excoelisse.] hoc ipsum aliis persuasurus sit, legentibus istud præsentis suæ thesitis initium. [Despexit S. Thomam Haunoldus lib. 4. tr. 1. contr. 1. Ille siquidem in 3. dist. 12. q. 2. a. 1. de Christo ait: *Quidquid fecit ille homo, potest dici DEVS fecisse: si ergo ille homo peccasset, sequeretur, quod DEVS peccasset, quod est impossibile.* Hic autem n. 276. Ratione istâ propositâ, subiungit. *Peccatum, hoc ipsum est, quod queritur, cur repugnet per Communicationem idiomatum DEVM dici peccatorem, aut peccasse, sicut dicitur mortuus, fatigatus, &c.*] Ponamus enim, quod P. Haunoldus contradixisset S. Doctori, uti tamen non contradixisset, mox ostendat; an propterea despexit S. Thomam, quem ne quidem citavit? Si contradicere, despiciere est, & quidem eum, cuius etiam nomen reticetur, quoties Adversarius despexit P. Haunoldum, cui per omnes suas Theses cum exigua observantia citato, datâ operâ contradixit? Virum autem doctrinâ & Religione celebrem despiciere, plus quàm Hilum Religiosæ observantiæ limites excedere est. Et si per hoc, quod in sua Præmonitione Adversarius dicat, S. Hieronymum & S. Augustinum aliòsque SS. Patres sibi mutuo Contradixisse, intelligi velit, eos se mutuo Despexisse, quando V. G. S. Thomas aliquoties contradixit Doctissimo suo Magistro Alberto M., id rursus non video, quomodo tale Testimonium intra religiosæ observantiæ limites subsistere possit.

360. Verùm, neque ex relatis S. Thomæ & P. Haunoldi Verbis doctrinæ antithesin rectè evincit Adversarius, partim quia ipse thesi 30. negat, Verba inter Rationes, pro & contra congestas, à S. Thoma ante Responsionem absolutam prolata, Resolutoriè dici, ea autem, quæ ipse ex S. D. suprâ allegavit, prolata sunt ante responsionem absolutam: partim quia S. Thomas in sua Ratione impeccabilitatem Christi non vult præcisè probare per hoc, quod, DEVM peccasse, posset dici per communicationem idiomatum, sed quod posset dici, DEVM peccasse, ita ut imputaretur DEO peccatum, & non tantum, ut denominaretur Peccator: cuius ulteriorem rationem & declarationem subiunxit S. Doctor in Re-

sponsione absoluta, quod nempe ideo, quidquid fecit ille homo, posset imputativè dici, Deus fecisse, quia Verbum propter Unionem, conferetur uti animâ Humanitatis tanquam Organo ad peccandum, veluti anima utitur corpore ad peccandum per corpus: Vnde in corp. articuli ita loquitur: [Secundum autem quod fuit Deus, & anima ejus & corpus fuerunt quasi Organum Deitatis, secundum quod dicit Damasc. Deitas regebat animam, & anima corpus. Vnde non poterat peccatum attingere ad eas animam, sicut nec Deus potest peccare.] Ex quibus patet, vim huius Rationis non fundari præcisè in communicatione idiomatum, quam communicationem P. Haunoldus assererebat esse in questione, & consequenter non posse dari pro Ratione, sed fundari in hoc, quod S. D. ad Annibaldum 3. dist. 12. a. 2. in C. ulterius his verbis declaravit: [Quia natura humana in Christo quasi quoddam instrumentum Naturæ Divinæ eam NB. moventis, & in ea operantis fuit, quæ ad peccatum movere non potest.]

361. Et hoc fundamentum P. Haun. tit. 277. non intendit evertere exemplo populi Israelitici; quippe quod non contra S. Thomam, sed contra eos adduxit, qui Christi impeccabilitatem non in unionè, quâ Humanitas, velut intrinsecum instrumentum, ac Organum, Divinæ Naturæ eam moventi, ac in ea operanti, perfectissimè consecratur, sed in specialis gubernationis extrinsecam quandam providentiâ ad dispositionem retulerunt, ut ex propriis Verbis P. Haunoldi manifestum est, quando sic scribit. [Si specialis gubernationis hoc proprium esset, reddere personam gubernatam NB. extrinsecâ providentiâ impeccabilem, tunc populus Israeliticus, qui erat populus DEI electus, & ab eo specialiter gubernabatur, fuisset etiam impeccabilis: idem de Simeone dicendum esset, de quo Ecclesia dicit: *Senex puerum portabat, puer autem senem regebat*] Itaque crediderim, Adversarium potius, non obstante contrariâ ejus censurâ, quàm P. Haunoldum non intellexisse rationem S. Thomæ, quandoquidem eam nequivit quoad suam efficaciam distinguere à ratione inefficaci, à P. Haunoldo rejectâ; & ex 3. p. q. 1. a. 1. ad 3. innecessario, ac impertinenter fulcro illam stabilire conatus est, quia ibi S. D. non rationem ulteriorem assignat, quare Christus non potuerit peccare, sed solum reddit rationem disparitatis, quare DEO conveniens esse potuerit, assumere naturam creatam, mutabilem, corpoream, & pœnalitati subjectam: non autem fuerit ei conveniens, assumere malum culpæ quia Nimirum malum pœnæ à DEI iustitia est introductum propter gloriam DEI: malum verò culpæ committitur per recessum ab arte Divinæ Sapientiæ, & ab Ordine Divinæ bonitatis.

362. Cur autem Humanitas assumpta tale malum culpa non potuerit committere, hoc S. Thomas locis supra citatis, & P. Haunoldus n. 274. & licet deinde n. 275. alia adhuc ratione contra certos Advers. utatur) referunt in Unionem infinitae Sanctitatis Divinae, Vi cuius Humanitas unita exigebat Visionem Beatificam, tanquam infallibiliter directivam juxta artem Divinae sapientiae, & ad ordinem Divinae Bonitatis; ob quam causam S. Aquinas ex S. Damasceno dixit: [Deitas regebat animam, & anima corpus; unde non poterat peccatum attingere ad ejus animam, sicut nec DEVS potest peccare.] Confirmari potest haec Ratio, in inamissibili Unionem cum Filio DEI fundata, ex epist. 1. Joan. c. 3. ubi inquit. *In hoc apparuit Filius DEI ut dissolvat opera diaboli. Omnis qui natus est ex DEO peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex DEO natus est.*

CONTRORSIA LXXXIII.

LIBERTAS CHRISTI.

An hac potuerit obstringi praecepto Rigoroso.

363. Sicut his Verbis S. Thomae 3. p. q. 47. a. 2. *Sicut Christus Mandatum accepit à Patre ut Pateretur, ab Adversario rectè probaretur Praeceptum Theologicum, seu in rigore Theologico acceptum, non debuisset Adversarius Autoritatem S. Thomae praeferre Autoritati S. Joannis Evangelistae, dicendo contra P. Haunoldum. [Divinum Thomam praec oculis non habuit Haunoldus, dum lib. 4. n. 296. dixit, Christum nec habuisse, nec ob impeccabilitatem intrinsicam potuisse habere praeceptum Theologicè sumptum.] Sed potius eandem suam thesin sic auspicari debuisset: Divinum Joannem praec oculis non habuit &c. quia ipse cap. 14. dicit Christi nomine: Sicut Mandatum dedit mihi Pater sic facio. Verum, Adversarius potius praec oculis non habuit S. Thomam, quippe qui per Mandatum non intelligit Praeceptum Theologicum, sed minus propriè dictum; ponam itaque S. Doctoris verba ob oculos ex 1. 2. q. 99. a. 5. in Corp. ubi ait. [Quaedam moralium praecisè praecipuntur, vel prohibentur in lege: sicut, non occides, non furtum facies; & haec propriè dicuntur praecepta. Quaedam verò praecipuntur, vel prohibentur, non quasi praecisè debita, sed propter melius: & ista NB. possunt dici mandata: quia quandam*

inductionem habent, & persuasionem, sicut Exod. 22. Si pignus acceperis Vestimentum à proximo tuo, ante solis occasum reddas ei; & aliqua similia. Vnde Hier. dicit, quod in praeceptis est justitia, in mandatis verò Charitas.]

364. Quod autem S. D. in textu ab Adversario allato ly *Mandatum*, simili modo pro praecepto minus theologicè ac propriè sumptum, colligere poterat Adversarius ex ipsius S. Doctoris subnexa declaratione: postquam enim protulerat illa Verba: [Christus mandatum accepit à Patre, ut pateretur (statim subiungit) dicitur enim Joan. 10. Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo, iterum iuvandi eam, & hoc mandatum accepi à Patre meo, scilicet ponendi animam & sumendi eam, ex quo (ut Chrys. dicit) non est intelligendum, quod prius expectaverit audire, & opus ei fuerit discere, sed voluntarium monstravit processum, & contrarietatis ad Patrem suspicionem destruxit.] Quibus Verbis expressè testatur S. Thomas, se suam usurpatione Mandati, non velle intelligi aliud, quam quod intellexit S. Chrysostomus; iste autem negat, opus fuisse Christo expectare, usque dum vero & rigoroso praecepto edoceret de Voluntate Patris, sed hom. 60. in illud Joannis cap. 10. *Ego pono animam meam à me ipso.* apud P. Haun. n. 304. inquit: [Nam si praecepto fuisset opus, quid attinebat illum dicere, à me ipso pono; quippe, qui à seipso ponit, nihil habet opus praecepto.]

365. Vnde Adversarius nec citatum integrum textum S. Thomae, nec declarationem S. Chrysostomi videtur praec oculis habuisse, quando contra P. Haunoldum sic pergit. [Nec est ad rem, quod ut argumentatur Haunoldus n. 309. Magistro Angelico 2. 2. q. 104. a. 1. *Tanto videatur obedientia promptior, quanto expressum praeceptum obediendo praevenerit, voluntate Superioris intellectu.* Nam ex priori textu constat, obedientiam Christi non praevenerisse expressum praeceptum, sed hoc implevisse, juxta illud Jo. 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio &c.* Praeterea quod etiam obedientia illa promptior, saltem in praeparatione animi, & conditionare respiciat praeceptum Superioris, quia ex S. Doctore loco posteriori ad 3. proprium obiectum obedientiae est praeceptum.] Nam quod sit ad rem non expectare audire, seu, expressum praeceptum obediendo praevenerit, & quod Christus, non expectaverit audire praeceptum rigorosum, idque ipse de se testatur Verbis illis Jo. 10. *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me (neque Pater) sed ego pono eam à me ipso.* Manifestum est ex S. Tho-

S. Thomæ & S. Chrysostomi Testimoniis: quod autem per Vocem *Mandatum* denotetur discrimen à præcepto Theologico, etiam constat ex testimonio Angelici Doctoris: quod denique proprium objectum obedientiæ non sit solum præceptum Theologicum, idque nec absolutè, nec conditionatè, ac secundum animi præparationem unice respiciendum sit, sed quod etiam minus propriè dictum præceptum, quod à S. Thomæ & S. Hier. mandatum appellatur, ad specialem Virtutem obedientiæ sufficiat, (aliàs Religiosi non ex Obedientia servarent suas Regulas, quæ quæ tales sæpe non obligant sub culpa, etiam veniali.) Christûsque tale per veram obedientiam, ex Charitate erga DEVM, & erga homines procedentem impleverit, est ipsissima mens S. Thomæ, qui præceptum, ut pateretur Christus, cum S. Joanne *Mandati* homine expressit, & tamen 3. p. q. 47. a. 2. ad 3. inquit: [Christus passus est in Charitate, & obedientia: quia & præcepta Charitatis ex obedientia implevit, & obediens fuit ex dilectione ad Patrem præcipientem.] Theologicum verò præceptum ita describit, ut ipsum Christo ratione suæ impeccabilitatis convenire non possit, quia 1. 2. q. 100. a. 9. in C. ita loquitur: [Dicendum, quod præceptum legis habet vim coactivam; illud ergo directè cadit sub præcepto legis, ad quod lex cogit: Coactio autem legis est per metum pœnæ.]

366. Quæ acceptione Præcepti Theologici supposita, P. Haunoldus suam doctrinam his argumentis, ab Adversario altum dissimulatis, efficaciter probat. Præceptum comminatorium sub culpa gravi, dicit: *Si hoc feceris, eris meus inimicus, & reus pœnæ.* Sed hic actus non potest exerceri erga personam impeccabilem: ergo &c. Minor probatur. Dicere, *si hoc feceris*, idem est ac dicere: *Si potentiam proximam, quam habes, exerceris.* Nisi enim supponatur adesse potentia proxima merendi pœnam, vel præmium, comminatio pœnæ, vel promissio præmij est nugatoria; quia utramque repugnat redigi in actum secundum, & utraque adhibetur, ut medium, ad inhibendam potentiam, nullā egentem inhibitione, perinde, ac si quis comminaretur pœnam alicui, ne pedibus ligatis, vel occluso carcere aufereret. Christo autem defuisse potentiam proximam ad peccandum, adeoque ad transgrediendum Præceptum comminatorium, partim constat ex tota præcedenti Controversia, partim contestatur ex instituto S. Thomæ 3. dist. 12. q. 2. a. 2. in Corp.

367. Alterum argumentum rursus fundatur à P. Haunoldo in Autoritate S. Thomæ 2. 2. q. 88. a. 4. ad 3. ubi S. D. negat, Christum, etiam qua hominem, potuisse vovere: & rationem dat hanc, quia *habebat firmatam voluntatem*

in bono: Atqui hæc probat, neque præcepto Theologico obligari potuisse: ergo ex mente S. Thomæ Christus non habuit præceptum Theologicum, obligatorium conscientiæ. Quomodo igitur Adversarius dicere potuit, Divum Thomam Patri Haunoldo non fuisse præ oculis?

368. Conatur tamen adhuc Adversarius solvere argumenta hac responsione. [Præceptum Theologicum Christi impeccabilitati non repugnat; quia non potuit non obedire privativè, & in sensu composito, licet stante præcepto potuerit non obedire negativè, & in sensu diviso. Quæ distinctio nisi admittatur, & Thomisticè exponatur, quomodo salvabitur, quod DEVS stante decreto de condendo Mundo potuerit oppositum? & quâ ratione verificabitur, causam posse agere sine actione, utpote ad actum primum non pertinente?]

369. Verum, hæc responsio dum nititur salvare impeccabilitatem Christi, destruit illius proximam libertatem indifferentiæ, seu libertatem à necessitate obediendi, cum tamen ad merendum non sufficiat libertas à coactione, sed requiratur etiam libertas à necessitate, tenente se ex parte personæ operantis, & meritorie obediētis. Vnde est expressè contra S. Thomam, & contra S. Chrysostomum, quem, ut supra dixi, S. Thomas sibi sequendum proposuit: ambo enim stante *Mandato*, seu *præcepto non Theologico*, id est, non obligante in conscientia sub reatu culpæ & pœnæ, sed tantum consistente in beneplacito Patris Superioris Humanitate Christi, & Salutem humanam tantum proponente *ut finem*, secundum præsens beneplacitum Divinum sine passione & morte Crucis non obtinibilem, concedunt, Christum potuisse non pati & mori.

370. Hinc Angel. Doctor in psal. 18. paulò post medium, distinguens triplex debitum, cuius alterutrum ad rationem præcepti requiritur, & sufficit, tertium asserit. [Ex parte finis, quem omnino volumus; qui est præstitutus nobis, & tunc cadit sub præcepto illud, sine quo non possumus servare subjectionem ad præcipientem: vel NB. sine quo non possumus consequi finem intentum.] Et sic ex præcepto fuit debita passio & mors; si nimirum Christus voluit consequi finem Salutis humanæ, quem tamen velle, nõ nisi ex debito illo conditionato citra obligationem tenebatur, prout expressè testatur Angel. Magister 3. dist. 16. q. 1. a. 2. ad 2. ubi, cum sibi objecisset: [Christus mortuus est, quia voluit, ut dicitur Isaiæ 53. sed non fuit in eo necessitas volendi, ergo nec necessitas moriendi.] Respondet: [Ly quia potest dicere causam, & hoc vel respectu mortis absolute, & sic referendum est ad Voluntatem Divinitatis; vel respectu mortis NB. violenter illatæ, A a z & sic

& sic potest referri ad Voluntatem humanam, per quam voluptas obtulit se persecutoribus.] Et hoc sensu etiam in 3. p. q. 46. a. 9. in C. inquit. *Dicendum quod Passio Christi subiecta erat ejus voluntati.* S. Chrysostomus autem hom. 28. ita loquitur. *Licebat illi nihil pati si voluisset.* Et infra. *Erat igitur arbitrii illius non venire ad crucem, si voluisset.* Et statim affert Verba Christi: *potestatem habeo, ponendi animam meam; atque concludit.* Si igitur nullam necessitatem habuit, ut crucifigeretur, crucifixus est propter nos. Nempe propter finem nostrae salutis, aliter ex vi praesentis beneplaciti Paterni inobtinibilem. Idem S. Pater hom. 57. eandem doctrinam his Verbis repetit. [Poterat nulla ferre opprobria, poterat, quae passus est, non pati, si quidem, quae sua erant, spectare voluisset, sed quod nostrum erat, respiciens, quod suum erat, neglexit.] Plura SS. Patrum Testimonia videri possunt apud Petavium lib. 9. c. 8. & apud Raynaud. Tomo *Christus DEVS homo*. l. 4. lect. 2. c. 6. a n. 403.

37. Quod autem Adversarij responsio destruat libertatem, & consequenter meritum obedientiae in Christo, patet ex dictis Contr. 14. & Contr. 43. ubi ostensum est, ad libertatem & meritum actus secundi non sufficere possibilitatem omissionis, vel actus contrarij in sensu diviso ab ijs, quae ad actum secundum meritorium, pro prioris naturae requiruntur, si unum eorum, sicut praedeterminatio physica, sit *impossibile a libero arbitrio*, & tamen sit *infallibiliter* connexum cum existentia talis actus secundi, uti in praesenti casu ad actum obedientiae pro prioris naturae fuisset praesupposita unio hypostatica, & Visio beatifica, reddentes Christum impeccabilem, & praecceptum Theologicum, cujus existentiam Humanitas Christi neque impedire recusando mortem violentam, & eo stante, neque obedientiam omittere potuisset. Econtra in nostra sententia, quia praescientia DEI de executione Mandati citra culpam non implebilis, fuit à Christo *impossibilis*, idèd licet in sensu composito cum praescientia obedientiae, non potuerit poni omissio obedientiae (quae tamen non esset vocanda inobedientia, quia haec supponit praecceptum obligans sub culpa) sufficit, quod potuerit poni in sensu diviso à praescientia, & haec à libero arbitrio Humanitatis fuerit *divisibilis*, seu *impossibilis*. Et sic *sensus divisus* exponitur Thomistice, id est, ad mentem S. Thomae 3. p. q. 46. a. 2. in C. expresse dicentis: [Quia impossibile est DEI praescientiam falli (non autem dicit, impossibile esse impediri) & eius voluntatem seu dispositionem cassari, (qua noluit humanum genus sine passione liberari) supposita praescientia & praedestinatione DEI de passione Christi, non erat simul possibile, Christum non pati, vel hominem alio modo, quam per passionem libera-

ri. Et est eadem ratio de omnibus his, quae sunt praescita & praedeterminata à Deo, ut in prima parte habitum est.]

372. Itaque videat rursum Adversarius, quae supra locis cit. dixerimus, ex quibus & ex modo dictis intelligit responsum ad hanc suam quaestionem. [Quomodo salvabitur, quod Deus stante decreto de condendo Mundo potuerit oppositum?] Respondetur enim salvari per hoc, quod ipsum decretum, quod supponitur dari, potuerit per Volitionem oppositi impediri à Deo. Ad alteram quaestionem vero. [Et qua ratione verificabitur, causam posse agere sine actione, utpote ad actum primum non pertinente?] Respondetur: Quaeestionem seipsam solvere: si enim actio non pertinet ad actum primum, & consequenter si ad seipsam non praesupponitur, tunc sine actione causa jam est potens agere, seu jam datur actus primus proximus ad agendum sine actu secundo; quamvis causa non possit agere, quin agendo ponat actionem, seu, quamvis causa non possit redigi in actum secundum, quin detur actus secundus: hoc autem non obstat libertati actus primi, quia ad hanc non requiritur, ut quando ponitur actus secundus, cum illo possit conjungi negatio ejusdem actus secundi, vel oppositus actus secundus, sed solum requiritur, ut ex parte actus primi nihil sit positum, quod sit impossibile, & simul inconjunctibile cum omissione actus secundi, seu ut dum ponitur actus secundus, potuerit omitti actus secundus, stante, vel saltem impedito omni eo, quod se tenet ex parte actus primi.

CONTROVERSIA LXXXIV.

IMMACULATA CONCEPTIO.

Quomodo ea tribuatur Beatissimae Virgini.

373. Quamvis Adversarius propter haec Verba: [Inter illos paucos, de quibus Haunoldus lib. 2. Instit. Theol. n. 208. Immaculatam Conceptioni Adversantes, non est Doctor Angelicus &c.] Laudandus videatur, quod S. Thomam pro communi & pia sententia explicare studeat: quia tamen P. Haunoldo de mente Angel. Doctoris litem per illa intentat ipsi Angel. Doctori, & Patri Haunoldo justam conquerendi causam praebet: S. Doctori quidem, eo quod excusatio non petita sapiat hic accusationem: Patri Haunoldo autem, quia ipsum in suspensionem trahit, quasi S. Thomam paucorum Patronum vel Ducem profiteatur; cum tamen nec Verbulo hanc Provinciam eidem imputaret;

posuerit; sed potius Autoritate & Ratione Immaculatam Conceptionem constanter propugnare, cum Vniuersis propè Doctores, ac integris Academijs conjuraverit. Vnde etiam ulteriori defensione in hoc puncto opus non habet.

374. Contra alteram verò immeritè oppugnationis partem, his ab Adv. verbis comprehensam. [Primum conceptum formalem hujus Exemptionis non rectè quis assignaret, si cum Haunoldo lib. 2. n. 562. ad privationem gratiæ recurreret: quia ut expressè docet S. Doctor in 2. ad Annibaldum dist. 30. a. 2. peccatum originale tantum Consummativè est privatio Iustitiæ, & Originaliter consistit in ipsa habitudine ad commutabile bonum, ex peccato primi parentis relicta; P. Haunoldus S. Doctoris clypeo facillimè se tueretur: quia, utique assentiente S. Thomæ, primum conceptum formalem Exemptionis à peccato originali, rectè quis assignat eum, quo Beatiss. Virgo in primò instanti Conceptionis suæ ita concipitur se habuisse, quemadmodum se habent illi, qui per Baptismum à peccato Originali liberi ac immunes redditii sunt. Atqui hic effectus Immunitatis formaliter illis præstatur per id, quo tollitur privatio gratiæ, adeoque per ipsam gratiam sanctificantem: ergo etiam Beatissima Virgini Exemptio à peccato Originali pro primo instanti Conceptionis formaliter præstita est per gratiam exclusivam suæ privationis. Major est certa; formalis quippe Exemptio à culpa pro instanti Conceptionis, non potest melius concipi, quam per formalem exclusionem culpæ pro eodem instanti. Minor autem constat ex Trid. sess. 5. in Decreto de peccato Origin. n. 5. ubi dicitur: [Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismo confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema sit.] Idem evidens est ex ipso loco ab Adv. citato ex S. Thomæ: & ex 1. 2. q. 82. a. 3. in C. ubi à S. D. peccatum originale formaliter non constituitur in habitudine ad commutabile bonum; quæ quidem inordinatio, inquit ibid. S. D. communi nomine potest dici concupiscentia: sed, ut mox subiungit: [Peccatum originale materialiter est quidem concupiscentia, formaliter verò est NB. defectus originalis Iustitiæ:] Vnde cum in Baptismo non tollatur concupiscentia, quando remittitur peccatum Originale, etiam juxta S. Thomam ipsum Originale solummodo impeditur, vel remittitur per positionem gratiæ sublativam rationis formalis, consummantis, & inducentis peccatum, sine qua nequit contrahi Peccatum Originale.



CONTROVERSIA LXXXV. SACRAMENTORVM CAUSALITAS.

An sit Physica vel Moralit re- spectu Gratiæ.

375. Quid P. Haunoldus lib. 4. n. 621. Sacramentis influxum tantum Moralem in Gratiā justificantem rectè & ex mente S. Thomæ tribuerit, patebit, expendendo textus, quos Adversarius adduxit, vel quos etiam adducere potuisset, deinde alios in oppositum afferendo. Inprimis ergò retulit ex Angelico Præceptore 3. p. q. 62. a. 4. hæc verba. [Ponendo, quòd Sacramentum est instrumentalis causa gratiæ, necesse est simul ponere, quòd in Sacramento sit quædam Virtus instrumentalis ad inducendum Sacramentalem effectum.] Quam Virtutem ibidem ad primum S. D. vocat Spiritualem; hoc ipsum repetit q. 78. a. 4. ubi ex eo, quia Sacramentis hanc Virtutem abnegare, repugnat & derogat dignitati Sacramentorum novæ legis, à priori infert de Sacramento Eucharistiæ sequentia: [Vnde cum hoc Sacramentum sit præ cæteris dignius, consequens est, quòd in Verbis formalibus hujus Sacramenti sit quædam Virtus creata ad conversionem hujus Sacramenti faciendam.]

376. Verum, ex his nihil probatur contra P. Haunoldum, quippe qui non negat Sacramentis inesse Virtutem Spiritualem, sic dictam propter Virtutem Spiritualem increatam agentis principalis, ut patet ex 3. p. q. 68. a. 4. ad 2. sed negat, hanc Virtutem esse Physicè causativam ipsius gratiæ, sicut non est Physicè causativa conversionis Eucharisticæ, ubi tamen inest Sacramento, ut inquit S. D. præ cæteris digniori. Et hoc negat ex mente S. Thomæ, 4. dist. 1. q. 1. a. 4. q. 1. in C. ita loquentis. [Ad ultimum autem effectum, NB. qui est gratia, non pertingunt etiam instrumentaliter, nisi dispositivè, in quantum hoc, ad quod instrumentaliter effectivè pertingunt, & dispositio, quæ est necessitas, quantum in se est, ad gratiæ susceptionem.] De Virtute autem Verborum Consecrationis, S. D. 4. dist. 8. q. 2. a. 3. ad 5. sic inquit. [Dicendum, quòd Virtus agentis principalis respicit principaliter terminum ad quem: Sed virtus causæ instrumentalis, NB. non attingit ad terminum ad quem, sed habet operationem suam in his, quæ sunt circa terminum, sicut qualitates activæ elementales non attingunt ad animæ rationalis introductionem. Et similiter hoc contingit, quia Virtus illa instrumentalis, quæ inest

B b

Ver-

Verbis, habet operationem supra substantiam panis, quia Verbum ad Elementum accedit secundum Augustinum; non est autem aliquo modo causa eorum, quæ in termino ad quem sunt, sicut quoddam sint accidentia sine subiecto, vel alicuius huiusmodi.] Ex his ergo patet, quid de Virtute aliorum Sacramentorum, quibuscum S. D. paritatem instituit, in ordine ad causandam gratiam sentiat.

377. Sed urget Adversarius ex hoc ipso art. 3. in C. allegans ista verba. NB. *Hæc qualitas* (designat Virtutem inexistentem Sacramentis) *habet esse incompletum, sicut similitudines colorum in aëre*: quas constat, inquit Adversarius, esse *Physicas*. Sed responderetur, aliud esse, quod Virtus Sacramentalis sit *qualitas physica*, & aliud, quod sit *causa physica* effectus ullimati, nempe gratiæ, vel conversionis Eucharisticæ. Deinde, ut Adversarii, quæ alibi, licet immerito, contra P. Haunoldum usus est, phrasi loquar, ipse inciviliter citavit S. Thomam, loco citato non dicentem: *Hæc qualitas &c. sed ita loquentem: Hæc Virtus NB. non est qualitas habens esse completum in natura, qualiter est Virtus alicuius principalis agentis secundum formam suam, sed habet* (scilicet *hæc Virtus, sed non hæc qualitas*) *esse incompletum, sicut Virtus, quæ est in instrumento ex intentione principalis agentis*. Et sicut similitudines colorum. Sic etiam alterius textus ex 4. dist. 1. q. 1. a. 4. q. 2. ad 1. allati præmatura abruptio, prorsus alienat sensum Angelici Doctoris; ab Adversario enim solummodo referuntur hæc Verba: [Virtus, quæ est in Sacramentis, reducitur ad id genus, in quo est Virtus completa principalis agentis quæ est qualitas.] His hæc addidisset immediatè annexa: *Vel in qua* (scilicet *qualitate seu genere qualitatis*) *esset, si in genere esset*: quia *Virtus increata non est in aliquo genere*: pateret, nec Virtutem principalem, ad quam Virtus Sacramentorum solummodo reducitur, esse propriè dictam qualitatem, multò minùs Virtutem Sacramentorum esse qualitatem propriè dictam, illis in ordine ad physicè producendum effectum ultimatam (nempe gratiam) intrinsecè superadditam.

378. Deinde, si S. Thomas loco citato agnosceret in Sacramentis talem Virtutem, quæ esset qualitas effectivè causans, ea tamen, ut ibidem *quæstionculâ* 1. in C. dicitur, tantum produceret dispositionem spiritualem ad gratiam, quam dispositionem *ornatum animæ*, vel *Characterem S. D.* appellat: istum proinde effectum unice tribuens Sacramentis, paulò post inquit: [Huiusmodi autem materialibus instrumentis competit aliqua actio ex natura propria, sicut aquæ ablueri, & oleo facere nitidum corpus: sed ulterius in quantum sunt instrumenta Divinæ misericordiæ iustificantis, pertingunt instrumentaliter ad aliquem effectum in ipsa anima,

qui primò correspondet Sacramentis, sicut est character, vel aliquid huiusmodi. Ad ultimum autem effectum, NB. qui est gratia, non pertingunt instrumentaliter, nisi dispositivè, &c.]

Verum, hanc ipsam Virtutem effectivam dispositionis Spirituales, existimat Emin. Card. Cajetanus in Commentario à S. D. q. 62. a. 1. non amplius agnosci.

379. Difficiliores duos textus ponisset Adversarius pro influxu physico immediato in gratiam adducere ex q. 62. a. 1. ad 3. & ex 4. dist. 14. q. 2. a. 4. in C. priori loco ita loquitur S. D. [Sacramenta corporalia per propriam operationem, quam exercent circa corpus, quod tangunt, NB. efficiunt operationem instrumentalem ex Virtute Divinâ circa animam, sicut aqua Baptismi ablucendo corpus secundum propriam Virtutem, abluit animam, in quantum est instrumentum Virtutis Divinæ.] In posteriori loco hæc habet. [Pœnitentia, ut est Sacramentum, ex parte ista NB. effectivè peccatum tollit, quia gratiam tribuit, sicut inducens albedinem, aufert nigredinem: & secundum hoc pœnitentia, in quantum est Sacramentum, peccata dimittit, quia Sacramentum novæ Legis est causa instrumentalis gratiæ.] Virtusque tamen textus solutio suppeditatur nobis ab ipso S. D. 4. dist. 1. q. 1. a. 4. q. 1. in C. Vbi ex instituto agens de causalitate Sacramentorum, ait: [Ad cuius evidentiam sciendum est, quod causa NB. efficiens dupliciter potest dividi: Vno modo ex parte effectus, scilicet NB. in disponentem, quæ causat dispositionem ad formam ultimam, & perficientem, quæ inducit ultimam perfectionem. Alio modo ex parte ipsius Causæ in Agens Principale, & Instrumentale.] Et paulò post Verbis jam suprà relatis dicit, quod Sacramenta tanquam causa solummodo instrumentalis non pertingant ad ultimum effectum, nisi dispositivè, & sicut causa efficiens gratiæ priori modo, eamque solummodo inducant mediatè, velut instrumenta.

380. Ex quo patet, quo sensu in utroque textu in contrarium allato Verbum efficiunt, & adverbium effectivè, à S. D. accipiat: idque confirmatur ex ipsis textibus, quia in primo comparat Sacramenta securi: quæ, ut ibidem dicitur, [non perficit instrumentalem actionem, nisi exercendo actionem propriam: sciendo enim facit lectum. Et similiter Sacramenta corporalia &c.] In secundo textu, dum comparat S. D. Sacramenta inducenti albedinem, implicite comparat ea penicillo, utpote quæ sunt instrumenta tantum causæ principalis per ea inducentis gratiam. Subsumo. Atqui neque securis, neque penicillus effectivè producant formam ultimam lecti, vel albi: ergo neque Sacramenta effectivè producant gratiam: Sed

exercendo actionem propriam ablutionem, unctionem &c. significatam per Verba, moraliter causant operationem causam Principalem, producentis gratiam; quod S. D. clarè significat 4. dist. 1. q. 1. a. 4. q. 1. ad 5. [Dicendum, quod ex Sacramentis causatur per modum influentiae gratia; nec tamen NB. Sacramenta sunt, quæ influunt gratiam, sed per quæ Deus, sicut per instrumenta, animæ gratiam influit.]

381. Quæ S. Aquinatis mens ulteriùs sic declaratur. S. Doctor diversis in Locis potissimum & unice ferè probat, quod Sacramenta sint causa gratiæ, quia oppositum derogaret dignitati Sacramentorum; sed hæc ratio plus non probat, quam quod sint causa Moralis, sicut Passio præterita est causa tantum Moralis, ut Controv. 81. ex eodem S. D. ostensum: imò probat, quod Virtus illorum sit similis ei Virtuti, ex quâ in ipsa sacramenta derivatur Virtus, nempe moralis: non enim debet esse major, vel auctior Virtus in Sacramentis, quam quæ est in Passione, à qua dignitas & efficacia in sacramenta transfunditur. Vnde sicut Passio Christi, ut etiam Contr. 81. declaravi ex S. D. 3. p. q. 48. a. 6. tantum denominativè producit gratiam, quia humanitas patiens illam producit, sic etiam Sacramenta tantum denominativè producant gratiam, quia Humanitas instituens Sacramenta illam producit, id quod testatur S. Thomas q. 27. de Veritate a. 4. in C. ad finem.

382. Præter hanc autem solum mediata & denominativè translata Virtutem Physicè causandi gratiam, non aliam causalitatem in sacramenta, quam præcisè moralem, seu impetritoriam derivari ab humanitate, dignificante illa, & merente propter passionem præteritam exaudiri, ulteriùs insinuat à S. D. 3. p. q. 62. a. 5. Vbi inquit, [Principalis autem causa efficiens gratiæ est ipse Deus, ad quem cooperatur humanitas Christi, sicut instrumentum conjunctum: Sacramentum autem sicut instrumentum separatum:] Et pro exemplo assignat baculum, qui movetur per instrumentum conjunctum, nempe per manum. Subsumo. Atqui instrumentum separatum non producit physicè effectum ultimum, ut suprà ex S. D. dictum est: ergo nec Sacramenta physicè producant gratiam.

383. Quod ulteriùs patebit, respondendo ad conjecturas, apparenter contrarias, quarum prima est, quod ipse S. Thomas sibi frequenter talia argumenta objiciat, quæ contra influxum physicum potius, quam moralem pugnant, atq; ostendunt, solum DEVM efficere gratiam, Sacramenta verò non habere sufficientem vim, nec proportionem, vel continentiam æqualis perfectionis cum gratia: & tamen S. D. non utatur obviâ responsione, negando, hæc quidquam efficere contra influxum moralem, sed ostendat

exemplis instrumentorum physicè influentium, v. g. ferræ securis &c. nihil contra influxum instrumentalem sacramentorum evincit. Secunda conjectura est, quia S. Thomas non opponit similia argumenta contra causalitatem meritum, etiam moraliter efficientium gratiam, Tertia. Quia S. D. sacramenta absolute vocat causas instrumentales, motas à causa principali physicè producente gratiam. Atqui per causam instrumentalem absolute dictam intelligitur causa physica, & motus causa instrumentalis ordinatur ad similem influxum, qualis est influxus causæ principalis.

384. R. Ad Primam, quod allata argumenta etiam non pugnent contra causam instrumentalem physicè influentem, & adducta exempla neque physicè influant in formam artificialem. Deinde solenne est S. Doctori, ut causas per actionem convenientem suæ naturæ v. g. perfectionem vel scissionem ferræ aut securis, non influentes physicè in ultimum effectum, tamen explicet ad modum causarum physicè influentium, continentium in se perfectionem effectus ultimi. Hinc q. 27. de Veritate a. 7. in C. ait: [Similitudines effectuum sunt in instrumentis, quibus mediantibus defluunt formæ à causis principalibus in effectus. Et hoc modo (subsumit immediatè S. Doctor) gratia est in sacramentis, & tantò minùs, quantò NB. sacramenta non perveniunt directè & immediatè ad ipsam gratiam, de qua nunc loquimur: sed ad proprios effectus.] Præsertim autem videtur hac proportione, & modo explicandi causalitatem sacramentorum, quia etiam Ecclesia comparat sacramenta cum totis physicis, constantibus verâ materiâ & formâ, ex quali tamen sacramenta non componuntur.

385. Ad Secundam Conjecturam R. Ideo à S. Thoma non opponi similia argumenta contra causalitatem meritum, quia propter inefficaciam Sacramentorum Antiquæ Legis, quæ etiam significabant, sed neque moraliter causabant gratiam, & ad quorum præsentiam etiam producebatur gratia, major erat Controversia de Sacramentis Novæ Legis, & minùs apparebat, quomodo signa materialia, in se etiam non continentia vim meritariam, possent causare gratiam.

386. Ad Tertiâ. R. Per causam instrumentalem, & motum illius, significari causam physicam, & motum ad influxum physicum, comparatione effectus immediati ac directi, non autem comparatione effectus ultimi, ad quem causa instrumentalis, uti Sacramenta ad gratiam teste S. D. suo physico influxu non pertingit. Atque ex his patet, non aliam causalitatem sacramentorum Novæ Legis respectu gratiæ clarè ex S. Thoma probari posse, quam Moralem immediatam, & Physicam mediatam ac indirectam.

Bb 2

qua-

quatenus mediante humanitate Christi, aut mediante Verbo humanitati unito, etiam ipsa sacramenta denominantur producere gratiam, sicut Verba Consecrationis dicuntur à Magistro Sententiarum dist. 10. §. *hac & his similia*, substantias mutare, cum ait: [Si tantum Valuit sermo Eliæ, ut ignem de cælo deponeret, non valebit sermo Christi, ut substantias mutet? De totius Mundi operibus legitur: quia ipse dixit, & facta sunt. Sermo igitur NB. id est Filius, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non potest ea, quæ sunt, in id mutare, quod non erant? Non enim minus est causare, quam mutare novas naturas rebus.] Itaque Adversarius dicens, P. Haunoldum in meridie cæcutivisse, dum S. Thomam in suas partes attrahere non dubitavit, verborum auxilium voluit suis rationibus lucem accendere, & usque ad meridiem perducere.

CONTROVERSIA LXXXVI.

EUCHARISTIÆ PARTES.

An Intentio Ministri & Forma Verborum sint Partes.

387. **N**egat de utroque Adversarius, quia S. Thomas 3. p. q. 73. a. 6. in Sacramento Eucharistiæ tria asserens consideranda, scilicet, id, quod est sacramentum tantum, quod est Panis & Vinum, (quæ verba malè explicat Adversarius, interpositâ parenthesi dicendo: id est, species utriusque, quia species panis & vini non sunt panis & vinum, quæ tamen ut materia ex qua specialiter sunt consideranda, & à S. D. ibidem dicuntur præfigurata à Melchisedec, qui obtulit panem & vinum) & id quod est Res & Sacramentum, scilicet, Corpus Christi Verum, & quod est Res tantum, scilicet, effectus huius sacramenti: non meminit Intentionis, & Formæ Verborum, ideoque ut intrinsecam partem exclusit. Verum, mala est hæc consequentia, partim quia S. D. non intendit hic explicite enumerare omnes partes, aliàs inter eas non posuisset effectum, & non debuisset omittere Species panis & vini, nominibus substantiarum tantum implicite significatas, & non expressisset solum Corpus Christi Verum, sed etiam Sanguinem Verum, substantiæ Vini succedentem, & in triduo mortis neque implicite significatum per nomen corpus; partim quia sub Considerando secundo S. D. per Corpus Christi Verum non intelligit ipsum prout existens secundum se, sed prout existens sacramentaliter, seu prout Eucharistia mysticè Immolatum repræsentat corpus passum in Cruce: hinc l. c. explicans S. D. quid in corpore Vero considerandum sit, ait: quantum autem ad ipsum Christum passum, qui continetur in hoc Sacramento, figura ejus fuerunt omnia Sacrifi-

cia Veteris testamenti. Itaque sub nomine Corporis mysticè immolati, & sacramentaliter existentis, meminit S. Thomas implicite omnium eorum, quæ constituunt Sacramentum, sicut etiam sub nomine panis & Vini tantum implicite meminit specierum, & quidem tantum ut existentium in substantia; patet ergo malam esse consequentiam, quod, quia intentio & forma consecrationis non nominatur explicite, sicut nec Species nominantur explicite, nec forma, nec intentio sit pars Sacramenti, quamvis species sint pars Sacramenti. Deinde, si non sufficeret implicita memoratio intentionis & formæ, ex illatione Adversarii non tantum sequeretur, quod non essent partes, sed quod in Sacramento nullius essent considerationis, quandoquidem non explicite ponuntur à S. D. inter tria Consideranda, quod nemo Catholicus dixerit.

388. **U**lterius quæro ex Adversario, an non, seposito interea textu S. Thomæ, pro formâ sacramentali inter partes cujuslibet Sacramenti numerandâ, sufficiat non solum autoritas S. Augustini, in Joan. c. 15. tr. 80. dicentis: accedit Verbum ad Elementum, & fit Sacramentum, Sed totius Ecclesiæ, comparantis constitutiva Sacramenti materiæ & formæ in totis physicis? atque forma in quolibet toto est pars totius: ergo etiam Forma sacramentalis est Pars Sacramenti. Quæ tam est expressa Sententia S. Thomæ, ut mirer Adversarium non legisse illam apud S. Magistrum 4. dist. 22. q. 2. a. 1. q. 2. in C. ubi ait, [In Sacramento Eucharistiæ Corpus Christi verum est Res significata tantum per species Panis & Vini, sed causata per Verba Ministri, & NB. illa duo simul conjuncta sunt signum & causa.] Subsumo. sed esse Signum & causam gratiæ seu effectus sacramentalis est esse Sacramentum, ergo corpus Christi Verum, & Verba ministri simul conjuncta sunt Sacramentum. Idem S. D. per partes intrinsecas distinguens Sacramenta Nova ab Antiquis, 4. dist. 1. q. 1. 2. 3. in Corp. inquit, [Dicendum, quod est commune in omnibus Sacramentis, quod consistant in rebus sensibilibus, invisibilem gratiam Signantibus. Sed hoc est speciale in Sacramentis Novæ Legis, quod rebus verba addantur.] & paulò post addit: [ut ex rebus & Verbis consistant: sicut Christus ex Verbo & carne.] Sed consistere ex Verbis est constare Verbis tanquam parte, sicut Christus Verbo & carne constat tanquam partibus. Et ibidem, in respons. ad 2. distinguens partes essentielles à factis seu ceremonijs in usu Sacramentorum adhiberi solitis, cum Hugone de S. Vict. dicit S. D. [Ad Sacramenta concurrunt Verba & res & facta: sed facta pertinent ad usum, vel dispensationem Sacramentorum, NB. Verba autem & res sunt de essentia Sacramenti, & ideo Magister in his duobus dicit constare Sacramenta.]

389. **V**ideamus nunc etiam quid de Intentione

zione Ministri dicat Angelicus Doctor, & an non sub prædictis duabus partibus ut quod includat intentionem tanquam partem, ut quo, sicut totum physicum sub nomine *Materia & Forma* continet etiam *unionem*, tanquam partem ut quæ; quemadmodum etiam sub dictis duabus partibus sacramentalibus comprehenduntur illa, quæ sunt *Ratio formalis* ut *Res & Verba* in Sacramento, non secundum se, & suum esse physicum, sed prout sunt partes totius Moralis, nempe Sacramenti, spectari debeant, adeoque prout sunt legitime instituta, tanquam signa gratiæ, & à legitimo ministro applicata. Huiusmodi ergo partes, sub rebus & Verbis cum debita intentione & ab idoneo Ministro conjunctis, complectens S. D. 3. p. q. 64. a. 8. in C inquit: [Ea, quæ in Sacramentis aguntur, possunt diversimode agi: sicut ablutio aquæ, quæ fit in Baptismo, potest ordinari & ad mundiciam corporalem, & ad sanitatem corporalem, & ad ludum, & ad multa alia huiusmodi. Et ideo oportet, quod determinetur ad unum, id est, ad Sacramentalem effectum per intentionem abluentis.] Quibus Verbis S. D. *Intentioni* tale tribuit officium, quale præstat *ratio*, tollens materiæ & formæ indifferentiam ad se mutuo, easque uniendo complens in ratione determinatæ & adæquatæ radices certorum effectuum, ad quos ordinatur totum substantiale. Sublimo. Atqui unio ratione huius actualis completionis, ac determinationis, est pars ut quo: ergo juxta Angel. Doctorem etiam intentio est pars ut quo, tanquam actio & determinatio ut quo, quemadmodum forma est actus, & determinata radix ut quod. Vnde quia omnis pars Sacramenti debet saltem per suam partem reddi sensibilis, ibidem ait, intentionem exprimi per formam, statim enim subiungit: *Et hæc intentio exprimitur per Verba, quæ in Sacramentis dicuntur.*

390. Idem S. D. *Intentionem, & Ministrum idoneum* quæ talem in toto Sacramento, tanquam in una causa adæquatâ gratiæ includens, ut partes constitutivas huius totius morales 4. dist. 6. q. 1. a. 2. q. 1. in C. sic loquitur. [Ad effectum autem Sacramenti videmus multa concurrere, scil. Ministrum, formam Verborum, & materiæ; hæc autem non possunt colligari ad invicem, ut sint una causa, nisi per intentionem baptizantis, qui scil. formam & materiæ applicat, suum verò ministerium ad utrumque, & totum hoc ad Sacramenti collationem (nempe ut conferatur adæquatum Sacramentum) & ideo requiritur intentio baptizantis. Et similiter etiam in omnibus aliis Sacramentis requiritur intentio ministri cum debita materiæ & forma, non solum ad effectum Sacramenti consequendum, sed NB. ad Sacramenti perceptionem.] scil. ut percipiatur adæquatum Sacramentum.

391. Quod si tamen Adversario nondum sufficiat, prædictas partes sub nomine *Rerum & Verborum* implicite memorari, addam S. Doctori Testimonium longè majus, ipsius nimirum Concilij Florentini, quod cum ceteris partibus intrinsicè constitutivis Sacramenti, nempe cum materiæ & Forma explicite meminit *Intentionis & idonei ministri*, ut sic ex eodem Concilio pateat, non tantum formam, sed etiam *Intentionem* cum legitimo ministro, in quo recipitur per modum unius accipiendam, immerito à partibus perfectivis totum Sacramentum excludi, & tantum pro causis efficientibus ab Adversario agnoscere. Sic ergo loquitur concilium. *Hæc omnia Sacramenta tribus perfectivis* (non dicit efficientibus, & singula eodem modo requirit, adeoque ut æqualiter constitutiva intrinsicè Sacramentum) *Videlicet rebus rebus, tanquam materiæ, Verbis, tanquam formæ, & personæ Ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia: quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum.* Ex quibus verbis etiam patet, quod non obstante, quod minister sit causa efficiens intentionis, & applicationis, & ipsius formæ, seu Verborum, ac propterea dicatur *conferens Sacramentum*, possit tamen ipse etiam esse pars constitutiva, non *comparis*, quam efficit, sed *totius Sacramenti*, quod ex productione *comparitum* exsurgit. & quod ipse cum materiæ & forma *perficit*. Sicut materiæ prima non tantum est causa formæ materialis, illam sustentando, tanquam effectum à se adæquatè distinctum, sed etiam est causa intrinsicè constitutiva totius substantialis, quod ex ipsa, & ex ejus effectu physice exoritur; & sicut intellectus non tantum est causa efficiens suæ intellectionis, sed etiam intrinsicè constituens hoc concretum *intelligens*.

392. Atque ex his redditur evidens, quod immerito Adversarius consecrationem, quatenus est Vitalis prolatio Verborum a Sacerdote consecrante procedens, & formam sacramentalem ut humano modo prolatam constituens, à ratione partis excludat hæc unica de causa. [Quia consecratio est actio, quæ fit Sacramentum: ergo non magis intrinsicè illud constituit, quam actio, quæ producit homo, sit intrinsicè partialiter homo; vel actio coqui, per quam conficitur cibus corporalis, sit aliquo modo cibus coctus.] Falsum enim est, quod consecratio sacerdotalis sit actio, quæ fit, id est, quæ producit ipsum Sacramentum, sed quæ producit sonum Verborum, distinctus ab actione, & simul cum actione constituens formam in ratione verborum formalium, humano modo, & vitaliter prolatorum; ex qua forma deinde fit, id est, constituitur simul cum aliis comparitibus totum Sacramentum, quod est totum morale. Proinde instantiæ ab Adversario impertinenter adductæ, tantum probant, actionem consecratoriam, C c pro-

prout à Sacerdote procedit, debere adæquatè distingui à termino producto, sicut productio hominis adæquatè distinguitur ab homine, & coctio cibi à cocto; non autem probat, quod ex actione consecratoria, & termino illius adæquatè distincto, non possit constitui aliquid totum morale, à Christo institutum, ut sit completum & adæquatum signum causativum gratiæ ad modum cibi & potus spiritualis. Sicut ipse Adversarius negare non potest, quod actio productiva hominis cum suo effectu constituat hoc concretum accidentale productus, & coctio cibi concretum coctus. Sic ergo sequela ab Adversario illata deficit suum caput, cum discursui suo subiungit hæc Verba: [Ex eodem capite non est consecrandum Haunoldo lib. 4. n. 763. non probabilius dicenti, etiam Verba consecrationis constituere intrinsecè Eucharistiam.] Quibus verbis ipsum manifestè contradicere non tam P. Haunoldo, quàm S. Thomæ clarissimis illius textibus supra relatis ostendi, & rursus confirmo alio æquè claro. q. 27. de veritate a. 4. ad 10. Vbi ait S. D. In omnibus igitur verum est, quod virtus Sacramenti NB. non consistit in materia tantum, sed in materia & forma simul, quæ duo sunt unum Sacramentum.

393. Neque tamen hinc sequitur, ut forsitan arguere posset Adversarius, quod si Eucharistia partialiter consisteret in Forma Verborum transeuntium, ipsa non amplius esset Sacramentum permanens. Nam Eucharistia non dicitur Sacramentum petmanens ratione formæ; sed ratione materiæ proximæ permanentis, quatenus hæc non est actio transiens, sicut ablatio, unctio &c. sed etiam extra ulum transeuntem datur Sacramentum Eucharistiæ, secundum materiam proximam existens physicè, secundum formam moraliter perseverantem in suo effectu existens moraliter.

394. Ex his tandem concludo, Regulam Partium, ex qua P. Haunoldus lib. 4. n. 768. & n. 770. intulit *Intentionem*, & *Potestatem* idonei Ministri esse Partes constitutivas Eucharistiæ, in materia & forma non secundum se sumptis, sed prout à Christo institutis, inclusas, non probare nimium, sed solum eas partes, quas etiam S. Thomas, & inprimis Concilium Flor. agnovit, esseque lumini naturæ conformem, ut cum totum nihil sit aliud quàm omnes suæ partes ut quod, vel ut quo, simul sumptæ, id sit pars totius, quo solo ablato non amplius remanent omnes partes, vel quo solo non posito non sunt positæ omnes partes, adeoque nec remanet nec ponitur totum. Quando verò prædictæ partes ut quo explicite inter partes ab Autoribus non recensentur, inde fit quia censent eas in partibus ut quod jam implicite includi; vel quia nomen partis sumunt rigorosè, pro parte ut quod: quo sensu etiam in totis physicis sola materia & forma partes dicuntur, unio verò & subsistentia vocantur complementa intrinseca, seu partes, ut quo.

Et sic difficultas ab Adversario mota recidit in quæstionem nominis, ex intentione loquentis distinguendam, ac decidendam.

CONTROVER. LXXXVII.

CONVERSIO AQVÆ.

An hæc fiat aliquando immediate in Sanguinem Christi.

395. Quod Cathéchismus Romanus parte 2. c. 4. n. 16. dicit, scilicet ante Consecrationem Calicis omnium Ecclesiasticorum Scriptorum sententiâ & iudicio æquam in Vinum converti, quodque etiam cum relatis ab Innocentio III. cap. cum Marthe. de celebratione Missarum. ut probabilius asserit S. Thomas 3. p. q. 74. a. 8. in C. cui adversarius potuisset insuper addere alium textum ex 4. dist. 11. q. 2. a. 4. q. 1. ad 2. hoc neque P. Haunoldus libro 4. n. 808. negat communiter fieri, neque est in quæstione, sed id potius quæritur, quando aqua paulò copiosior est affusa, quæ quidem nondum rationem Vini usualis tollat, sed tamen ante consecrationem in Vinum converti nequivit (quem proinde casum expressè excipit S. Thom. cit. a. 2.) vel quando immediate ante consecrationem est immixta, prout Christum fecisse communiter creditur, atque etiam necesse foret, si prius per oblivionem mixtio facta non esset, utrum in tali casu aqua immediate per consecrationem in sanguinem converteretur, antequam in Vinum potuerit converti. Et ad hanc quæstionem affirmativè respondet P. Haunoldus, adeoque non dicit, aquam communiter in vinum non converti, sed solum, pro consecratione necesse non esse, ut prius fuerit conversâ in Vinum; contra quod nihil evincit Adversarius relatis textibus, nullâ aliâ interpretatione egentibus: sed partim ex citato cap. cum Martha, partim ex S. Thomæ probatur, aquam nondum conversam in Vinum vi Unionis moralis, quæ constituit, & integrat Vinum Usuale, immediate in sanguinem converti.

396. Nam cum Innocentius §. Quasi etiam, tres sententias retulisset de conversâ aquæ cum Vino mixtione, rejectâ primâ, asserente, aquam converti in aliam aquam, quæ ex Christi latere cum sanguine effluxit, cum tamen Verba consecrationis solius sanguinis faciant mentionem, reprobatâ etiam tertiâ sententiâ, negante aquam ullo modo converti, approbavit quidem secundam, sed solummodo, quatenus dicit, aquam converti in sanguinem: Rationem verò illius desumptam ex immediata conversione in

in Vinum improbavit Pontifex, tanquam incertam, ac quibusdam Philosophis falsam, cui proinde, quidquid sit de ejus Veritate, sententia Theologica magis certa non sit in edificanda. Propterea aliam rationem substituit, quæ probat conversionem aquæ in sanguinem, etiam si prius non physice fuerit conversâ in vinum; fundat enim illam conversionem aquæ in sanguinem in conversione saltem morali aquæ in Vinum usuale, propter unionem cum illo, per quam, sicut & per ipsam conversionem aquæ in sanguinem Christi, denotatur mirabilis Unio populi fidelis cum Christo, & mediante Christo cum Patre Cœlesti.

397. Ex S. Thoma autem triplici modo probatur responsio P. Haunoldi. In primis loco ab Adversario citato S. Doctor noluit admittere aquam Vino admixtam post consecrationem manere aquam, ne populus adorando, quidquid liquoris est in Calice, saltem materiam idololatriam committeret. Deinde loco à me citato hanc dat rationem: [Quia si aqua in propria natura remaneret, sic calix consecratus non esset tantum potus spiritualis, sed etiam corporalis: & ita non liceret post primam sumptionem sanguinis iterum sumere.] prout tamen licet die Nativitatis Domini, vel quando propter paucitatem Sacerdotum eidem subinde ex speciali privilegio conceditur uno die plures Missas facere. Utraque ratio pugnat pro nostro casu, & questione; & cum non sit ex natura aquæ & Vini petita, sed solummodo ex moralibus inconvenientiis, non probat naturalem Virtutem Vini, aquam in qualibet brevissima temporis mora in Vinum convertendi, sed potius institutionem Sacramenti ita factam esse, ut istæ inconvenientiæ non habeant locum, utque proinde aqua in Sanguinem convertatur, etiam si prius conversâ nequiverit in Vinum.

398. Quod ipsum ulterius Sapienter probat P. Haunoldus assumptâ evidenti paritate ex Verbis Angelici Doctoris 1. p. q. 74. a. 3. ad 3. ubi ait. [Dicendum, quod modica permixtio non solvit speciem: quia id quod est modicum, quodammodo absorbitur à plurimo: & ideo, si sit modica admixtio alterius frumenti, ad multo majorem quantitatem tritici, poterit exinde confici panis, qui est materia hujus Sacramenti. Si verò sit magna permixtio (puta ex æquo, vel quasi) talis permixtio speciem mutat: unde panis exinde confectus non erit debita materia hujus Sacramenti.] Si ergo, infert P. Haunoldus, sufficit, quod major quantitas tritici absorbat minorem quantitatem alterius frumenti, seorsim non consecrabilis, & propter talem absorptionem ac Unionem moralem reddat etiam illam consecrabilem, etiam si eam non cōtererit physice in substantiam tritici, idem po-

terit dici de modica quantitate aquæ, physice nondum conversæ in Vinum.

399. Neque potest ad hunc discursum respondere Adversarius, quod farina alterius frumenti modicè admixti physice convertatur in triticum. Licet enim S. Thomas 4. dist. 1. q. 2. a. 2. q. 2. ad. 1. dicat. [Quamvis sicca dum integra manent, non amittant speciem ex permissione, tamen quando dividuntur, & conficiuntur, sicut in pane accidit, possunt speciem amittere.] & ibid. in corp. [Si autem adeo sit parva admixtio, quod species panis triticea maneat, & illud, quod additur, ad naturam tritici convertatur, potest exinde confici Sacramentum.] Tamen nec his Verbis S. Doctor vult asserere perfectam conversionem physicam, quæ non solum indiscernibilitatem, ac inestimabilitatem, sed mutationem substantialem denotet; quia triticum non agit in frumentum admixtum, sicut Vinum agit in aquam. Ideo S. D. in textu ex 3. p. relato, usus est Verbo *absorbetur*, seu *absorbetur*, non autem Verbo *convertitur*. & addidit particulam limitantem NB. *quodammodo absorbitur à plurimo*. Unde, cum his Verbis Adv. contra P. Haunoldum triumphum ante Victoriam sibi accinuit: [Quantum gloriaretur Adversarius, si sic ipsius sententiis hucusque rejectis, etiam obiter & non ex professo, S. Doctor vel à longè faveret?] Clarè ostendit, se in S. Thoma pro sententiis P. Haunoldi clarissima allata Testimonia vel non legisse, vel ex necessitate hanc nimium sibi applausivam hederam suspendisse, ut Aquam suam pro Vino ijs vendere posset, apud quos Verba defectum Rationum supplere valent.

CONTROVER. LXXXVIII.

TRANSUBSTANTIATIO.

An fiat per novam productionem termini ad quem.

400. EX hoc, quod S. Thomas 1. p. q. 75. a. 8. ad 1. asserat hanc propositionem: *Ex pane fit corpus Christi esse propriè dictam*, non rectè infertur contra P. Haunoldum libro 4. n. 837. ad salvandam proprietatem locutionis requiri productionem novam corporis Christi. Demonstrat hoc ex ipso S. Doctore, qui ipse explicat in corpore citati articuli, quis sit sensus prædictæ propositionis, scilicet non esse alium, quam, ut post hoc sit hoc (non dicit: *et producat hoc*) *et quod prædicti termini non sint similes*. Deinde requirit solummodo aliquem transitum, quo unum extremum transit in aliud, sicut panis in corpus Christi (Ecce particulam sit explicat per Verbum *transit*, sine

productione nova ejus in quod transitur) Denique indicat convenientiam hujus transubstantiationis cum transmutatione naturali, quod utrobique remanet aliquid idem. Itaque juxta S. Thomam ista propositio: *Ex pane fit corpus Christi*, æquivalere huic: *ex pane est corpus Christi*, vel *panis transit in corpus Christi*, vel *pani succedit corpus Christi sub aliquo eodem*, scilicet sub iisdem speciebus accidentibus. Licet autem ad hanc transubstantiationem faciendam Præceptor Angelicus hic q. 78. a. 4. requiratur, quod in verbis formalibus hujus Sacramenti sit quadam Virtus creata instrumentalis, non tamen requiritur, ut illa Virtus creata instrumentalis sit de novo productiva corporis Christi: Sic enim de illa loquitur Angelicus Præceptor 4. dist. 8. q. 2. a. 3. ad 5. [Dicendum, quod Virtus agentis principalis respicit principaliter terminum ad quem: sed Virtus causæ instrumentalis non attingit terminum ad quem, sed habet operationem suam in his, quæ sunt circa terminum: sicut qualitates activæ elementales non attingunt ad animæ rationalis introductionem. Et similiter hoc contingit, quia Virtus illa instrumentalis, quæ inest Verbis, habet operationem supra substantiam panis, quia Verbum ad elementum accedit, secundum Augustinum: non est autem aliquo modo causa eorum, quæ in termino ad quem sunt, sicut, quod sint accidentia sine subiecto, vel alicujus hujusmodi, & ideo objectio cessat.] Dico & ego Adversarii objectio cessat.

CONTROVERSIA LXXXIX.

PRIMA GRATIA.

An hæc aliquando causetur a Sacramento Eucharistia?

401. Interpretatio, quæ P. Haunoldus lib. 4. n. 882. secutus Emin. Card. de Lugo disp. 12. n. 24. & plures alios insignes Doctores, textum S. Thomæ 3. p. q. 79. a. 3. mox referendum explicavit de primâ remissione peccati mortalis per Sacramentum Eucharistia solum mediâ causabili, scilicet mediante perfectâ charitate ac contritione, in ordine ad quam eliciendam Sacramentum devotè cum sola attritione bonâ fide susceptum, ex Benignitate DEI confert gratiam auxiliantem; est consona proprijs S. Doctoris Verbis, ita loquentis de peccatore solum attrito, & inculpabiliter omittente ampliorem dispositionem. Fortè enim primò non fuit sufficienter contritus: sed devotè & reverenter accedens consequenter per hoc Sacramentum gratiam Charitatis, quæ contritionem perficit, & remissionem

peccati, quo proinde textu satis clarè indicat S. Doctor, prius conferri gratiam actualem, seu auxilium Charitatis, tum perfici contritionem, id est, pro contritione antè imperfectâ, & non sufficiente, auxilio gratiæ effici ac elici perfectam, & per hanc obtineri gratiam remissionem, seu remissionem peccati.

402. Est præterea hæc interpretatio conformis principiis ejusdem S. Thomæ. Nam 4. dist. 12. q. 2. a. 1. q. 1. ait: [Dicendum, quod proprius effectus cujuslibet Sacramenti debet assumi ex similitudine ad materiam illius Sacramenti: sicut expurgatio veteris vitæ est effectus Baptismi per ablutionem aquæ significatam. Et ideo, cum materiale in hoc Sacramento sit cibus, oportet, quod effectus proprius hujus Sacramenti accipiat secundum similitudinem ad effectum cibi.] Ergo quando in priori textu à P. Haunoldo explicato S. Thomas concedit, ab Eucharistia per accedens causari remissionem peccati mortalis, non potest, ut idem P. Haun. l. c. argumentatur, illam causare, immediate causando gratiam, quia hæc non nisi ad modum cibi ab Eucharistia causari potest, cibus autem spiritualis supponit vitam spirituales, sicut cibus corporalis supponit vitam corporalem. Atque ita de Virtute solummodo mediâ causandi remissionem Peccati mortalis intelligendi sunt plures alij textus Angelici Doctoris ab Adversario non adducti, 4. dist. 9. q. 1. a. 1. q. 2. & dist. 11. q. 2. a. 2. q. 2. ad 1. & ille de Confirmatione adductus ex 3. p. q. 72. a. 7. ad 2. etiam si ibi S. Doctor nullam faciat mentionem auxilij, intuitu Sacramenti collati pro elicienda contritione causativâ gratiæ. Nam etiam in 4. dist. 12. q. 2. a. 1. q. 1. ubi de Sacramento Eucharistia ait: *ad hoc sequuntur duo effectus, augmentum spiritualis quantitatatis in augmento Virtutum, & reparatio deperditorum in remissionem Venialium, vel reparatio deperditorum in remissionem Venialium, vel reparatio deperditorum in remissionem Venialium*: nullam facit mentionem auxilij & Charitatis, & tamen ut ex sequenti articulo & 3. p. q. 79. a. 4. & 4. dist. 16. q. 2. a. 2. q. 4. in C. & ad 1. patet, primum ex fervore Charitatis peccata Venialia remittuntur.

403. Quærit quidem adhuc Adversarius, cur ergo aliter de extrema Unctione, concedendo illi immediatam remissionem peccati mortalis, aliter de Eucharistia, concedendo tantum mediâ causabili, sensit P. Haunoldus n. 883. cum tamen S. Thomas extremam Unctionem Eucharistia & Confirmationi expressis verbis comparaverit 4. dist. 23. q. 1. a. 2. q. 1. de illa sic scribens: *Si invenit peccatum aliquod, vel mortale, vel veniale, quoad culpam, tollit ipsum, dummodo non p. natur obex ex parte recipientis, sicut etiam de Eucharistia & Confirmatione supra dictum est.* Resp. P. Haunoldus n. 883. non sentire aliter de extrema Unctione, & aliter de Eucharistia, sed in responsione

sione ad objectionem solum transmittere, ut probabilem illam sententiam, quæ contendit, extremam unctionem esse *per se* institutam ad immediate remittendum peccatum mortale, & non tantum ad remittendum mediatè, vel *per accidens*. quæ particulæ *Per se*, & *Per accidens*, non solum etiam quæstionem nominis, ut Adversarius vult, sed specialem Intentionem Institutoris in illa sententia deotarent, alias etiã S. Thomas, loco de extrema unctione citato in corp. articuli faceret quæstionem nominis, distinguendo inter effectum principalem. & non principalem. Audiamus nunc verba P. Haunoldi. [38. Inquit, cum Card. Lugo, ideo hoc esse probabile de Extrema Vnctione, quia probabiliter est instituta ad tollendum, quod reliquum est peccati seu culpæ, seu pænæ, juxta dispositionem subjecti, & quidem si hoc facit (Ecce, non asserit, sed transmittit) non per accidens, sed per se id facit.] Ratio autem transmittendi ut probabile, quod Extrema unctio mortalia in defectum sacramentalis pœnitentiæ inculpabiliter omittat, cum imperfecta contritione remittat, Specialis est, Primò: quia S. Jacobus c. 5. universaliter ait: *Si in peccatis est, dimittentur ei.* Secundò, quia per Formam Vnctionis universaliter dicitur: *Indulgeat tibi DEVS, quidquid deliquisti &c.* Tertiò, quia extrema Vnctio sæpe confertur ijs, qui nequeunt amplius elicere contritionem, & quibus tamen sæpe antea solum attritis maximè necessaria esset Vis immediatè remittendi peccata.

CONTROVERSIA XC.

EFFECTVS EUCCHARISTIÆ.

An Species Vini augeant effectum Gratia.

404. Quid P. Haunoldus lib. 4. n. 884. dicens: [Vtraque sententia tam est probabilis intrinsecè & extrinsecè, ut inter illas difficilis sit electio. In affirmativam magis propendeo.] debuisset magis in negativam propendere, non persuader Adversarius ex S. Thoma, opusculo 58. cap. 29. asserente: [Si aut sumit sacerdos Sanguinem Christi sacramentaliter de calice: sic populus eum sumit Intellectualiter sub specie panis de ipso corpore Christi, & est eis tam utilis, & tam dulcis, ut Sacerdotibus, qui sumunt eum sub specie Vini de calice.] Ex sumptione enim intellectuali, qua fideles firmissimè credunt, sanguinem esse annexum corpori Christi realiter sumpto sub specie panis, non probatur augmentum gratiæ

ex opere operato, supponentis sumptionem sacramentalem, sed solummodo infertur augmentum gratiæ, correspondens sumptioni intellectuali, id est, merito fidei: quo tamen fieri potest, ut hæc sumptio sit tam utilis, quàm sumptio sacramentalis, seclusa æquali fide, & propter sumptionem realem totius Christi sub una specie sit æquè dulcis. Quod si tamen fidei addatur utriusque speciei sumptio sacramentalis, adeoque si sanguis à sacerdotibus sumatur sacramentaliter, & Intellectualiter, non ostenditur ex S. D. quod sumptioni sacramentali nullum superaddatur augmentum gratiæ, causatum à Sacramento ex opere operato: sed contrarium potius P. Haunoldus n. 886. probavit ex hymno Angelici Doctoris, quo utens Ecclesia dicit: *Dedit & tristibus Sanguinis poculum*: ut scilicet, quemadmodum David ps. 103. prædixit, *Panis cor hominis confirmet & Vinum letificet cor hominis.*

405. Respondit quidem, ut audio, Adversarius ad hoc testimonium S. Thomæ, à quodam Viro Docto in publica disputatione ipsi obiectum, Angelicum Doctorem postmodum versiculum tantum addidisse ad complendum Metrum. Verum crediderim S. Magistrum potius Veritati, quàm Poësi aut arti fingendi, an versificandi insistere voluisse, dum signo Symbolico Specierum Vini, in poculo propinatorum, specialem effectum gratiæ latificantis cor hominis, symbolo correspondentem adscripsit, & pro singulari Beneficio commemoravit: id quod colligitur ex ipso loquæ, ab Adversario citato. Nam circa initium capitis 29. cum S. D. quævisset, quare Sacramentum sumitur sub specie duplici, cibi & potus, sive Panis & Vini, prima ratio his ab illo Verbis exprimitur. *Ut Ornatum & perfectionem convivij sui, & mensæ demonstraret, sub specie panis & Vini simul Sacramentum altaris administrat.* Atqui si Christus sub specie Vini administrans Sacramentum, & dans tristibus Sanguinis poculum, nullam specialem refectionem animæ, per intensiorem gratiam, cum majori in rebus tristibus auxilio & robore connexam, exhiberet, nihil perfectionis convivij sui demonstraret, sed inane signum, sicut inane poculum apponeret; quod sanè S. Thomas noluit asserere, & ideo prædictus versiculus in hymno non est inane complementum Metri.

406. Idem colligitur ex altera ratione, à S. D. ad præmissam quæstionem his verbis reposita: *Secunda: ad redemptionis corporum nostrorum, & animarum simul saginationem.* Iterum subsumo. Atqui administratio Sacramenti sub specie Vini nihil adiciens gratiæ, quæ est corporum & animarum spiritualis sagina, quatenus majorem gloriam corporum & animarum in cælo præstat, nihil conduceret ad saginationem:

D d

Ex

Ergo administratio Sacramenti sub specie Vini adjicit augmentum gratiæ.

407. Id ipsum ulterius confirmatur ex citato S. Doctore, quando ibid. post medium inquit. *Secundo queritur, quare populus non accipit Sanguinem sub specie Vini, sicut Sacerdos?* & mox rationem reddens, ait: [Prima est, ad habendum Vas congruum, hujus Sanguinis contentivum. Sicut enim Vinum vas specialius & diligentius preparatum, in quo servetur, exigit, quam panis; sic sub specie Vini Sanguis Christi sumendus solum Sacerdotibus conceditur, tanquam Vasis Domini ad hoc specialiter consecratis, & sacra religione constrictis, & Virtutum pulchritudine excellentius prœornatis.] Infero. Ergo tanta præparationi ad sumendum Sanguinem Christi sub specie Vini, intuitu Sanguinis ex opere operato correspondet intensior gratia: ut sic non propter Vini species solum, sed propter Sanguinem, æquè quidem præsentem sub speciebus panis, sed non æquè fructuosum, major præparatio, & Virtutum apparatus exigitur. Sic nec Sacerdotes de gravamine obligationis majoris, nec Laici de negatione Specierum Vini ullam ampliùs conquerendi causam habent, dum hi levamine obligationis, illi autem gravaminis fructu potiuntur.

408. Atque ex hoc patet Solutio communis argumenti, desumpti ex querela laicorum, & maxime hæreticorum contra negatum laicis calicem. Quibus à Trid. sess. 21. cap. 3. respondetur, quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem (NB. non dixit nulla simpliciter, sed nulla necessaria ex Christi præcepto sumendi integrum Sacramentum quoad substantiam, non autem quoad ejus perfectionem integram) eos defraudari, qui unam speciem solum accipiunt. Unde tantum abest S. Thomas l. c. à sententia Adversarii, ut ibid. potius contrariæ triplicem rationem, & præcipuam objectionis veram solutionem statuatur. Unde etiam 3. p. q. 80. a. 12. ad 3. dixit. *Potest autem à populo Corpus sine Sanguine sumi. Nec exinde sequitur aliquod detrimentum* (scilicet nec integritatis Sacrificij) quia Sacerdos in persona omnium Sanguinem offert, & sumit, (nec Integritatis Sacramenti) quia sub utraque specie totus Christus continetur. Ecce quomodo S. Doctor duplici ratione adjecta non excludat detrimentum intensioris gratiæ, sed duplicis integritatis, à me indicatæ: ideo etiam iste textus, quem videbatur Adversarius pro se potuisse adducere, pro P. Haunoldo militat.

409. Urget Adversarius. [Nec per ambas species plenior ex parte rei significata, significatur resectio, quam per alteram, quandoquidem sub utraque totus Christus sumatur.] Respondetur subjunctam rationem esse insufficientem ad probandam assertionem, quia aliud est, sub utraque specie seorsim sumi totum Christum, & aliud sumi perfectum convivium, adeoque perfectioris gratiæ significativum, & cau-

fativum: quod posterius membrum negavit S. Doctor supra relatus, & loco proximè allegato a. 12. in corp. inquit: [Quod circa usum hujus Sacramenti duo possunt considerari. Unum ex parte ipsius Sacramenti: aliud ex parte summentium. Ex parte quidè ipsius Sacramenti convenit, quod utrumque sumatur, scilicet & corpus, & sanguis, quia NB. in utroque consistit perfectio Sacramenti, & ideo quia ad Sacerdotem pertinet, hoc Sacramentum consecrare, & perficere, nullo modo debet corpus Christi sumere sine sanguine.]

410. Instat ulterius Adversarius, [Si ex differentia, quæ est in modo significandi, posset aliquid concludi, etiam Baptismus collatus per immersionem, qua expressius ex modo significandi denotatur conspectura Baptizati cum Christo, majorem gratiam causaret, quam cum conferretur per aspersionem. Unde argumentum Haunoldi ex indicato principio desumptum, non subsistit; sed quemadmodum de Manna exod. 16. refertur, nec qui plus collegerat habuit amplius, nec qui minus paraverat, reperit minus: ita interprete S. Doctore l. c. qui habet æqualiter (quantum est ex parte Sacramenti) de Eucharistico Botro sumit, *Vram* (scilicet corpus Domini) in cibum, & Sanguinem in potum] Verum, Adversarius non assecutus est Vim argumenti, ex S. Thoma allati: quia Species vini juxta S. D. non tantum spectant ad clariùs significandam resectionem spirituales animæ, sed insuper ad perficiendum & magis integrandum Sacramentum in ratione convivij, adeoque per conjunctionem specierum Vini causatur major gratia, non præcisè quia clariùs, sed quia integratius significatur resectio, tam per modum cibi, quam per modum potus, ut proinde utrique symbolo debeat correspondere causalitas specialis gratiæ.

411. Unde patet disparitas cum Immersione, quæ non magis integratur aut perficitur Baptismus. & disparitas cum Manna, quod si consistebat tantum in unica sua specie, sic quidem declarat, sub una eademque specie Eucharistica non plus gratiæ ex opere operato accipi, siue in magnâ, siue in parvâ, siue in unâ, siue in pluribus hostijs, Christi corpus sumatur, & siue multum siue parum ex calice bibatur: nõ autem denotat sub specie diversa Vini nihil intensioris ac specialis gratiæ sumi; nam etiam Manna non præstitit effectus potus, sed solius cibi. Quia tamen gratia Sanctificans spirituali modo præstat rationem cibi & potus (prout iustitia dicitur esuriri & sitiri, & à Christo comparatur aquæ Vivæ, & cibo permanenti in vitam æternam) ideo S. D. opusc. 18. cap. 29. in fine, loquens de gratia quoad substantiam, non quoad intensiorem, rectè dixit: *Duo Sumo in botro, Vram scilicet Corpus Domini in cibum, & ex una fago dulcem licet Corpus Domini in potum.* Itaque P. Haunoldus præponendo mentem S. Thomæ non debuit propendere

dere in sententiam Adversarij: sicut nec in eandem propendit, sed absolute contrariam docuit Religioſæ obſervantiæ in allegandis contrarijs Autoribus ſtudioſiſſimus P. Philippus à Sanctiſſima Trinitate, Carmelita Diſcalceatus, diſp. 7. de Euch. dub. 4. adducens recentiores Diſcipulos S. Thomæ.

CONTROVERSIA XCI.

PECCATA DUBIA.

An ſint Materia Neceſſaria Confeſſionis.

412. **N**on dubito, quin Sanctiſſimi & humillimi Aquinatis graviter indignante Modeſtiâ, Adverſarius ita theſin ſuam auſpicatus ſit: [Parùm intereſt, quòd, ut notavit Hauldus lib. 4. n. 104. quando adest probabilis ratio, à quâ potuit homo prudens moveri ad judicandum, peccatum non eſſe commiſſum, NB. Theologi conveniant non eſſe obligationem confeſſendi, etiamſi adſit non ſolùm ſuſpicio quædam de peccato commiſſo, ſed etiam quædam probabilitas: NB. pravalet enim Authoritas S. Thomæ 4. diſt. 21. q. 2. a. 3. ad 1. ſic oppoſitum ſentientis, dum ait] [Quando aliquis dubitat de aliquo peccato, an ſit mortale, tenetur illud conſideri dubitatione manente: quia qui aliquid committit, vel omittit, in quo dubitat eſſe mortale peccatum, peccat mortaliter, diſcrimini ſe committens. Et ſimiliter periculo ſe committit, qui de hoc, quod dubitat eſſe mortale, negligit conſideri. Non tamen debet aſſerere illud eſſe mortale, ſed cum dubitatione loqui, & judicium Sacerdotis exſpectare.]

413. Verùm, ponamus interim, quòd Adverſarius propriam S. Doctoris mentem rectè ſiſſecutus, quomodo, ſi ceteri Theologi, de negatione obligationis confeſſendi peccata dubia omnino conveniant, ſtabit lex illa poſitiva ſine ſufficienti promulgatione, cum ipſe S. Doctor 1. 2. q. 90. a. 4. in C. expreſſè dicat: [Ad hoc, quòd lex Virtutem obligandi obtineat, quod eſt proprium legis, oportet, quòd applicetur hominibus, qui ſecundùm eam regulari debent: talis autem applicatio ſit per hoc, quòd in notitiam eorum deducitur ex ipſa promulgatione: Unde promulgatio ipſa neceſſaria eſt ad hoc, quòd lex habeat ſuam Virtutem.] Quomodo autem cenſebitur lex poſitiva Chriſti ſufficienter promulgata, ſi Theologi, qui indolentioribus debent Divinas leges promulgare, & declarare, de negatione legis conveniant, etiam poſtquam legerunt, & aliter, quàm Adverſarius, interpretati ſunt S. Thomam?



414. Itaque Adverſario ego cavendum puto, ne dum S. Thomam ceteris Theologis, & negatione obligationis confeſſendi peccata poſitive dubia convenientibus, dicit pravalet, ipſe ſuam interpretationem D. Thomæ, dicat pravalet interpretationi cæterorum Theologorum, quorum nomine hic adſcribam in investigandis obligationibus Moralibus Verſatiſſimi Thomiſtæ interpretationem: ſic enim Sylveſter, Sacri Palatii Magiſter digniſſimus, ſcribit in ſua Summa Verb. Confeſſio 2. q. 3. [Quæritur, utrum dubitans de aliquo an ſit mortale, teneatur illud conſideri? Et dicit S. Thomas, quòd ſic: aliter periculo ſe committit, vel omittit, in quo dubitat eſſe mortale. Sed tamen Notandum eſt (præſertim Adverſario, S. Thomam loquentem de dubio negativo, & propriè dicto, explicanti de dubio poſitivo, cujus diſcrimen hic annotatur) ex doctrina ejus, & communiter omnium, quòd aliud eſt ſcire, aliud opinari, & dubitare: quia ſcire, ut ex definitione ejus patet, habet certitudinem ſine hæſitatione de oppoſito: opinari verò non habet certitudinem ſine hæſitatione: ſed habet aſſenſum, vel credulitatem cum ſimilitudine de oppoſito: dubitare verò NB. non habet aſſenſum, vel credulitatem alicujus: ſed propriè dicitur, quando aliquis aliquam ſententiam nec credit, nec decredit, ſed eſt in æquilibrium, non declinans magis ad unam partem, quàm ad aliam, ſaltem notabiliter, etiamſi aliquo conjeſtetur leviter ſine probabili ratione de altera earum. Qui ergo NB. opinatur probabili ratione de aliquo, quòd non ſit mortale, non tenetur illud conſideri.] Ita Sylveſter.

415. Videamus nunc Rationem, quam Adverſarius communi Theologorum ſententiæ, & Angelici Doctoris genuinæ interpretationi opponit. [Si quis dubius de morbo, de remedio non cogitaret, ageret impudenter; & Venator ſi dubitet, an illud, quod movetur, ſit homo, vel fera, tenetur non ſaculari: ſic etiam, qui ita dubitat, an peccatum ſit commiſſum, vel utrum ſit mortale, ut pro & contra probabilis ſe offerat ratio, illud ad Sacramentale tribunal, quod poſt peccatum commiſſum eſt reo favorable, debet deferre.] Si Adverſarius intuliſſet in altero membro paritatis, quòd, qui dubitat, an peccatum ſit commiſſum, vel utrum ſit mortale, debeat cogitare de remedio, ne, ſi revera fuerit commiſſum mortale, remedium negligens, æternæ mortis damnum ſubeat; facile concederetur ipſi paritas: quia tamen, quàm diu non aliunde probat, dari obligationem confeſſendi peccata poſitive dubia, id eſt, pro quibus eſt poſita ratio probabilis in utramque partem, tam diu poteſt dari aliud remedium contra illa nempe abſolutio indirecta, ſicut datur de non occurrentibus memoria, vel contritio perfecta;

Id 2. idco

ideo illatio paritatis quoad determinatum remedium peccati mortalis, æquæ falsa est, quàm falsa esset necessitas assumendi determinatum remedium contra morbum, si plura alia media suppetere. Hinc S. Doctor ad Annibaldum 4. dist. 16 a. 3. ad 1. cum sibi objecisset, quod peccator de omnibus circumstantiis peccati mortalis intra eandem speciem mortaliter aggravantibus, debeat exire, expressè ait: *Dicendum, quod verum est, tamen non oportet, quod semper per confessionem, sed N.B. sufficit, quod alio modo, scilicet per insuffecam contritionem.* Et hanc responsionem à suo S. Magistro accipiat sibi Adversarius ad suum Argumentum, neque amplius dicat, quod P. Haunoldus ad illud non attenderit.

CÓNTROVERSIA XCII.

CIRCUMSTANTIÆ AGGRAVANTE S.

An sint Materia Neccessaria Confessionis, quando sunt mortales intra eandem speciem.

416. **E**xplicatâ per confessionem speciei peccati mortalis, non esse obligationem per se loquendo, explicandi circumstantias notabiliter aggravantes intra eandem speciem, ut probabilius asseruit P. Haunoldus lib. 4. n. 104. allegans S. Thomam 4. dist. 16. q. 3. a. 2. q. 5. ubi expressè eandem sententiam tenet. Sed Adversarius non tam explicaturus, quàm correcturus suum S. Magistrum, ait: [Non observavit Haunoldus, quosdam extitisse tempore Magistri Angelici, qui dicebant aliquas circumstantias, quæ non valde notabiliter aggravant, esse necessariò confitendas, ut si peccatum committatur ab Episcopo, vel in die festo etc. has ergo circumstantias non necessariò confitendas esse, tantum voluit S. Doctor. subdit enim: *quia Venialia non sunt de necessitate confessionis: cenfer itaque, quod circumstantiæ aggravantes notabiliter, scilicet per modum mortali, sint de necessitate confessionis.*]

417. Verum, Adversarium per desideratam observationem doctrinæ aliorum, ab observatione doctrinæ Magistri sui Angelici manifestè deflexisse, patebit ex S. Doctoris Verbis integrè relatis. Ita enim l. c. inquit. [Dicendum, quod omnes circumstantias confiteri est impossibile, quasdam autem confiteri est necessitatis: sed in hoc est differentia Opinionis. Quidam enim dicunt, quod omnes circumstantiæ, quæ aliquam N.B. notabilem quantitatem peccato addunt (Adversarius observandum monuit, eos dixisse, Non notabilem) confiteri ne-

cessitatis est, si memoriæ occurrant. Alij verò dicunt, quod non sint de necessitate confitendæ (etiam si, quod priores dixerant, notabilem quantitatem peccato addant) nisi circumstantiæ, quæ ad aliud genus peccati trahunt: & hoc N.B. probabilius est. Sed addendum est, quæ ad aliam speciem mortalis trahunt; cuius ratio est, quod Venialia non sunt de necessitate confessionis, sed solum mortalia, quæ quantitatem infinitam quodammodo habent.] Circa quæ postrema Verba ab Adversario bene notanda est vitiosa translatio hujus propositionis casualis; *Quia Venialia non sunt de necessitate confessionis: quam propositionem Adversarius refert ad circumstantias intra eandem speciem aggravantes, quasi S. Thomas ideo dixisset eas non esse necessariò confitendas, eò quod supponeret esse tantum non notabiles, sed veniales: S. Doctor autem retulit illam causalem ad circumstantias speciem mutantes, quas dixit esse confitendas, si ad aliam speciem peccati mortalis trahunt, non autem si ad aliam speciem solummodo Venialis, eò quod Venialia non sunt de necessitate confessionis.* Ecce quantum interfit integrè & fideliter adducere textum S. Doctoris. Nunc totum perexamus, ita enim pergit S. Doctor. [Et quia circumstantiæ aggravantes, quæ aliam speciem peccato non tribuunt, vel quæ tribuunt quidem, sed non mortalis peccati, non sunt de necessitate confessionis: tamen easdem confiteri perfectio est, sicut & de Venialibus diximus.] Hic rursum Adversarius debuisse observare assertiones *disjunctivas*, quod circumstantiæ non sint confitendæ, si vel aliam speciem peccato non tribuunt, vel si tribuunt non mortalem; quæ esset inepta disjunctio, si etiam in priori membro aggravatio non deberet esse mortalis.

418. Citatum hunc textum, quem Adversarius voluit intelligi de circumstantiis Non notabiliter, seu non per modum mortali aggravantibus, ipse S. Thomas in oppositum explicat 4. dist. 41. a. 4. in C. Ubi eundem allegans, ex eo infert, illas circumstantias luxuriæ non esse in confessione omittendas, quæ peccatum in aliud genus mutant, scilicet stuprum, adulterium, incestum, raptum; atqui in luxuria, in qua non datur ex parte Voluptatis verè venereæ parvis materiæ, etiam aliæ circumstantiæ plurimæ sunt mortaliter peccaminosæ, consequenter etiam has inferre debuisset non esse omittendas, vel priores non ex eo præcisè debuisset inferre confitendas, quia peccatum in aliud genus mutant.

419. Longè minùs videtur legisse Adversarius Anglicum Doctorem ad Annibaldum 4. dist. 16. a. 3. in corpore expressè dicentem, [Quod peccatum mortale necessariò est confitendum, ideo circumstantiæ, quæ novam rationem peccati mortalis addit, de necessitate est

confitenda, NB. alia autem non.] Ubi etiam ad omnia argumenta in contrarium allata, quæ tendunt ad probandam necessitatem confitendi circumstantias per modum mortalis aggravantes, nullam tamen Novam Rationem formalem seu speciem peccati addentes, respondet, semper negando hujusmodi obligationem. Ad primum, cum sibi objecisset: [Præcipitur Loth de Sodomis exire, ne moretur in omni regione circa, sed penitus de Sodomis, id est, de peccato, per confessionem exeat: ergo non solum peccatum, sed omnis circumstantia peccati confiteri debet.] inquit: [Dicendum, quod verum est, tamen non oportet, quod semper per Confessionem, sed sufficit, quod alio modo, scil. per intrinsecam contritionem.]

420. Ad secundum, quod Adversarius his Verbis proponit: [Si circumstantie aggravantes notabiliter non essent de necessitate confessionis, confessio non foret satis verecunda, nec Sacerdotes possent servare aequitatem in panis injungendis ad mentem Tridentini.] Quodque S. Thomas his Verbis sibi objicit. *Secundum quantitatem peccati debet injungi satisfactio: cum igitur circumstantia variet quantitatem peccati, est confitenda pro satisfactionis injunctio*: S. D. sic respondet: *Ad secundum, de satisfactione recipienda, dicendum, quod determinata quantitas peccati non potest Sacerdoti innotesci, (id est, fieri nota sine nimia difficultate obligationis, & anxietatis) quia nec ipse peccator scit, (scil. exactè, ut facile possit determinare durationem, intensiorem actus &c. in quibus circumstantiis tamè imbibitur ipsa mortalis malitia peccati.) Unde sufficit, quod cognoscat quantitatem NB. quæ ex nova specie confurgit. Vel dicendum: quod si cognosceret, (scil. quantitatem, quæ non ex nova specie confurgit, sed ex circumstantia præcisè notabiliter aggravante, & majorem poenam merente) non tamen teneretur confiteri, quia tantum peccatum mortale (id est, substantia peccati mortalis, non autem circumstantia) est de necessitate confitendum.*

421. Ad tertium argumentum, quod S. D. sibi objecerat, inquit: [Confessio debet contritioni respondere: sed homo debet de singulis circumstantiis conteri, ut littera Aug. dicit, ergo & confiteri.] Respondet: [De Augustino dicendum, quod de circumstantiis, quæ peccati speciem mutant, oportet, quod quis doleat ad peccati dimissionem, de aliis autem singulis sufficit, quod in generali, non tamen necessitatis est, quod de eis doleat, ut peccatum dimittatur.] Id est, ut Sacerdos malitiam peccati, in his circumstantiis residentem directè dimittat, sicut tamen dolor de circumstantiis, speciem mutantibus, ad directam dimissionem per distinctam confessionem debet

ordinari. Ecce, quàm non obiter tantum, sed ex instituto S. Thomas tradat eam doctrinam, quàm ipse ex suo Magistro Alberto M. 4. dist. 16. a. 24. P. Haunoldus autem ex S. Thoma dumsuppsit, & longè gravissimo testimonio Concilij Trid. sess. 14. cap. 5. confirmavit, quod apud ipsum cum sua declaratione legi potest.

422. Sed opponit Adversarius ipsi Concilio ejus Catechismum. p. 2. cap. 5. n. 41. dicentem. *Neg. verò solum peccata gravia narrando explicare oportet, verum etiam illa, quæ unumquodque peccatum circumstant, & pravitatem valde augent, vel minuunt.* Debuit Adversarius ulterius pergere legendo Catechismum, & statim annexam rationem subungere, ex qua eluxisset, Catechismum loqui de circumstantiis, ex una specie in aliam, vel ex Veniali ad Mortale peccati malitiam transferentibus: sic ergo prolequor textum Catechismi. [Quadam enim (Nota bene particulam causalem) circumstantiæ adeò graves sunt, ut peccati mortiferi ratio ex illis tantum constet: quare hæc omnia confiteri oportet. Si quis enim hominem interemisset, explicandum est, utrum ille Sacris initiatus, an Profanus fuerit. Itemque si cum muliere concubuit, matrimonij lege liberâ, aut alterius uxore, aut propinquâ, aut alicujus Voti sponcione DEO consecratâ, aperiat, necesse est. Hæc enim diversa peccatorum genera constituunt.] Deinde, quia non confiteretur quis suum furtum, quod fecit, qui notabilem summam ultra aureum nummum, quantumvis ille ad furtum mortale sufficeret, abstulisset, & solum diceret, furatus sum auream nummum, declarat Catechismus, illum sic confitendo non satisfacturum, eò quod peccatum commissum esset notabiliter aliud, & longè gravius, quàm peccatum in confessione explicatum: ut autem pateat, à Catechismo non exigi expressionem totius summæ ablata, modo dicatur fuisse gravem, & non positivè exprimat notabiliter minor, quæ esset confessio minoris peccati non commissi præ majore verè commissio, addo propria Catechismi Verba. [Furtum etiam in peccatis numerandum est: Verum si quis aureum nummum furetur, levius omnino peccat, quàm qui Centum vel Ducentos, vel ingentem aliquam auri vim, præsertim verò qui Sacram pecuniam abstulit. Quæ etiam ratio ad locum, & ad tempus pertinet &c.] Ex quibus constat Catechismum solum præcipere, ut quis suum peccatum, quod verè perpetravit integrè confiteatur, nihil addendo, vel subrahendo, vel novam peccati mortalis speciem constituens omittendo. Unde concludit: [Hæc igitur, ut diximus, enumeranda sunt; quæ verò pravitatem rei magnopere non augent, (Nec modo prædicto, trahendo quidem in aliam speciem, sed non mortaliter peccaminosam) sine crimine

Ee

omitti

omitti possunt] Ceterum, etiam si Catechismus Rom. l. c. exigat expressionem circumstantiarum intra eandem speciem notabiliter aggravantium, eatenus tantum exigeret, quatenus & quando id esset alicui poenitenti necessarium ad finem, quem his Verbis eidem medio necessario praemissit. [Est etiam in confessione summa illa cura & diligentia adhibenda, quam in rebus gravissimis ponere solemus, omnique studium ita eo conferendum est, ut sanemus animae Vulnera, & NB. peccati radices evellamus.]

CONTROVERSIA XCIII.

CONFESSIO INFORMIS

An tamen possit esse Valida.

423. **N**egavit P. Haunoldus lib. 4. n. 997. Licet autem S. Thomas q. 9. supplementi. 2. 1. qui desumptus est ex 4. dist. 17. q. 3. a. 4. q. 1. videatur aperte affirmare; tamen postea 4. dist. 23. q. 1. a. 4. q. 2. in C. assignans discrimen, & rationem, cur sola Extrema Unctio fiat per formam Deprecatoriam, ita loquitur. [Quia hoc Sacramentum non habet aliquem effectum, qui semper ex Operatione Ministri consequatur, omnibus, quae sunt de essentia Sacramenti rite peractis, sicut character in Baptismo & Confirmatione, & transubstantiatio in Eucharistia, & remissio peccati in Poenitentia, existente contritione, quae est de essentia Sacramenti poenitentiae, non videtur de essentia huius Sacramenti: & ideo in hoc Sacramento non potest esse forma indicativi modi, sicut in praedictis Sacramentis.] Quibus Verbis putant quidam graves Doctores, inter quos numerari meretur P. Haunoldus, Angelicum Magistrum destituisse a priori sententia, eo quod ab Extrema Unctione, quae non semper ex operatione Ministri habet aliquem effectum, Poenitentia juxta S. D. distinguatur per hoc, quod ex illa semper sequatur effectus, scilicet Remissio peccati, existente contritione, quae est de essentia poenitentiae, adeoque existente Sacramento, per partem suam essentialem completo, ac Valido.

424. Verum, etiam transmissa mente S. Thomae, locum hic habet illa exceptio ac limitatio testimonij, ab Adversario thes. 80. relati, ubi ex Innocentio VI. dixit, doctrinam S. Thomae praeter ceteris, excepta Canonica, habere Veritatem: Subsumo. Atqui P. Haunoldus suam Sententiam probat ex doctrina Canonica Concilij Florentini, ac Tridentini, quorum utrumque duobus saeculis est posterius S. Aquinate: Adversarius autem suam sententiam fundat unice in doctrina S. Thomae, destituti autoritate

dictorum Conciliorum: cum tamen praesens Controversia, non ex Ratione, sed potius ex intentione, & Institutione Christi, per Ecclesiam nobis manifestanda, decidi possit, quod occasione subnascentium haereticum per praedicta Concilia clarius & expressius Ecclesia creditur praestitisse. Nam Concilium Flor. in decreto Eugenij §. Quartum. pro materia constitutiva Poenitentiae requirit Actus poenitentis, in tres partes distinctos: quarum prima, inquit, est cordis contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso, cum proposito, non peccandi de cetero. Quae Verba denotant propositum universale, sicut sunt prolata universaliter, vi cuius homo ita averlatur omne peccatum, ut cum ea aversione non tantum non esset coniungibile ullum peccatum mortale deinceps ponendum, sed ut saltem sit Virtualis detestatio omnis peccati antecedenter commissi, utpote non committendi, si universale propositum in nullis circumstantiis peccandi, quale a Flor. exigitur, tunc extitisset. Subsumit P. Haunoldus. Atqui talis Virtualis detestatio omnis peccati praeteriti, etiam ignorati, inclusa in proposito universali ad Valorem poenitentiae Sacramentalis requisito, semper etiam sufficit ad fructum absolutionis; ergo Sacramentum poenitentiae nunquam potest esse validum, & infructuosum, seu ex dilatione fructus Informe.

425. Concilium Triid. autem Sess. 14. cap. 5. haereticis, propter impossibilitatem semper confitendi omnia peccata mortalia, objicientibus ex necessitate confitendi omnia mortalia commissa, saepe eventuram, ut Sacramentum valore & fructu suo destitueretur, ostendens hoc nunquam eventurum, modo praestentur omnia, quae ab Ecclesia ex institutione Christi exiguntur, respondet: *Constat enim nihil aliud in Ecclesia a poenitentibus exigi, (tam ad fructum, quam quoad Valorem) quam ut postquam quicquid diligenter se excusserit, ea peccata confiteatur, quibus si Dominum mortaliter offendisse meminerit.* Reliqua autem peccata, quae diligenter cogitanti non occurrunt, in universum in eadem confessione NB. inclusa esse intelliguntur, pro quibus (vi doloris, aut propositi universalis ad Valorem poenitentiae Christo requisiti) fideliter cum propheta dicimus, *ab Occulis meis munda me Domine.* Subsumitur P. Haunoldus. Atqui si talis dolor & propositum requiruntur ad Valorem, vi cuius etiam peccata non occurrentia memoriae semper sunt inclusa, & vi cuius hoc ipso, quod ad valorem detur sufficiens dolor ac propositum, semper fideliter cum propheta dicimus, *ab occulis meis munda me Domine*: tunc Sacramentum poenitentiae nunquam potest esse validum, et tamen infructuosum. Ergo etiam iuxta Triid. Sacramentum poenitentiae nunquam potest esse validum ac infructuosum. Unde rectius S. Thomam

Thomam ex loco posterius citato P. Haunoldus juxta sententiam Ecclesie Traditioni conformiorem explicat.

CONTROVERSIA XCI.V.

IMPEDIMENTUM VOTI.

An dirimat Matrimonium propter Solennitatem Iure Naturali, vel an Ecclesiastico tantum introductam.

426. **P** Haunoldus lib. 3. Instit. Theolog. n. 319. affirmativam responsionem Juris duntaxat Ecclesiastici, merito securus est expressam declarationem Bonifacii VII. cap. un. de Foro & Voti Redemptione. Cui ipse S. Thomas, qui pluribus annis ante Bonifacium scripsit, & solennitatem professionis Religioſæ q. 53. a. 2. supplementi, desumpti ex 4. dist. 38. q. 1. a. 3. q. 3. in Corp. Juris Divini ac Naturalis esse asseruit, & 2. 2. q. 88. a. 11. etiam à Summo Pont. indispensabilem affirmavit, Viri tantisper prolongata utique subscripsisset; quia textus Pontificis non potest absque maxima violentia, & responsionis ad propositam questionem impertinentia, explicari de solennitate accidentali, cum non de hac, sed de essentiali quaestio fuerit instituta, & consequenter eidem fuerit accommodanda responsio, prout etiam factum esse ex Verbis Capituli est manifestum, quæ ita sonant: [Quod Votum debeat dici solenne, ac ad dirimendum matrimonium efficax, (solennitas autem accidentalis non habet hanc efficaciam) nos consulere voluisti. Nos igitur attendentes, quod Voti solennitas NB. ex sola constitutione Ecclesie est inventa: matrimonij verò Vinculum ab ipso Ecclesie Capite rerum omnium Conditor, ipsum in Paradiso, & in statu Innocentie, instituyente, Unionem, & indissolubilitatem acceperit: præsentis declarandum duximus Oraculo Sanctionis, illud solum Votum debere dici solenne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solennizatum fuerit per suspensionem S. Ordinis, aut per Professionem expressam, vel tacitam, factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis.] Ecce! quaestio proposita ab Episcopo Biterrensi, particula igitur relata ad statum quaestionis, particula Attendentes, quæ denotat attentionem ad solennitatem diremptivam Matrimonij, particula Professionem tacitam, factam scilicet absque solennitate accidentali, aperte denotant Professionem solennem solennitate substantiali; & tamen de hac loquens dicit Pontifex,

quod Voti solennitas ex sola constitutione Ecclesie est inventa.

427. Quam Opinionem Pontificij Juris interpretes Omnes sequuntur, inquit Azor lib. 12. cap. 6. nominatim citans Innocentium Hostiensem, Archidiaconum, Joannem Andream, Abbatem, Ancharanum, Cardinalem, Francum, Felinum, & inter Theologos Scotum, Henricum, Paludanum, Cajetanum, Medinam, Angelum, Palacium, Rosellam, & alios. Plures videri possunt apud Sanchez lib. de Matrimonio disp. 25. n. 2. quos ipse sequitur in fine n. 7. & disp. 26. n. 2. quos rursus approbat n. 4. in fine. Vnde quando cap. cum ad Monasterium de statu Monachorum, dicitur: [Abdicatio proprietatis, sicut & custodia Castitatis, ad annexa Regula Monachali, ut adversus eam ne Summus quidem Pontifex possit licentiam indulgere.] passim intelligunt D. D. inquit Vallenſis, Canonista Celeberrimus, ibidem [remanente statu Monachali, seu Religioso, cui repugnat habere aliquid proprium, prout eo nomine significatur Dominium, & usus independens ab arbitrio superioris] Itaque P. Haunoldus rursus laudabiliter, & juxta V. Congregationis nostræ Gen. Decret. 41. Reg. 1. de Solennitate Votorum expressam Constitutionem, (quod Decretum Adversarius in ult. thesi non rectè Canonis nomine allegavit, sicut ex Tridentino; ut rem noto exemplo declarem, non rectè Canonem pro Cap. citaret) Doctrinam Canonicam prætulit doctrinæ Angelici Doctoris, ætate illius posteriorem, alioquin etiam à S. S. Canonum observatissimo Magistro amplexandam.

CONTROVERSIA XCV.

CONCLUSIO.

An hac ab Adversario ex suis Thesis rectè sit deducta.

428. **A**dversarius ita conclusit. [Has Theses contra se Haunoldus approbavit eo ipso, quod postquam lib. 3. Theol. specul. n. 113. dixerat: Motiva Credibilitatis non habere meram rationem Autoritatis humane, sed esse revera testificationem & locutionem Divinam: deinde n. 121. hæc subdiderit formalia: Sed quid multis opus est autoritatibus? unus instar omnium sit Angelicus Thomas.] Verum, huic Conclusioni deest præcipua Præmissa, nempe, quod hæc Theses sint Theses & Doctrina Angelici Thomæ: si enim hujus moderatissimi stylum, & modum, plerumque, tacito nomine ac modestissime refutandi Doctores catholicos, nullam acerbam nota-

E e x

605

eos censurâ, attentius spectem, non possum in Adversarij Theſis meum Angelicum Doctorem invenire. Si autem animus ad doctrinam advertam, video quidem, Adversarium totum fuisse in exscribendis textibus Angelici Doctoris, sed applicationem, & explicationem, & subinde etiam relationem, non convenisse cum Doctrina S. Thomæ. Unde potius crediderim à P. Haunoldo, cui novit optime Angelici Magistri stillantem orem à pruina discernere, ac colligere, Adversarij Theſes quoad Modum, & Substantiam merito fuisse improbatas; in quarum ultimâ per Encomium S. Doctori ab Innocentio V. I. iustissime collatum: [quod nunquam, qui Veritatem sententiarum ejus tenuit, inveniat à tramite Veritatis deviâsse, & qui eam impugnavit, semper fuerit de falsitate suspectus.] nec P. Haunoldi, nec Societatis nostræ doctrinas de falsitate Adv. reddit suspectas, quamvis hæc Vocabula singulari characterem notaverit: utpote qui fatetur, Doctrinam S. Thomæ in Theologia Scholastica, tanquam solidiorem, securiorem, magis approbatam, & consensaneam Constitutionibus, sequendam à V. Congreg. Gen. nostris Doctoribus propositam esse.

429. Ipsum tamen testimonium Summi Pontificis in eo sensu accipiendum est, quo S. Hieronymus in Breviario Rom. die 14. Januarij legitur de S. Hilario dixisse. [Multos libros scripsit mirâ eruditione: quos omnes S. Hier. ad Lat. sine ulla erroris suspitione legi posse testatur illis Verbis: Hilarij libros inoffenso decurrat pede:] quo sensu etiam de S. Gregorio Nazian. 9. Maji in eodem Breviario Rom. legimus: [Scripsit autem multa, & soluta Oratione, & Versibus, mirabili pietate, & eloquentiâ: quibus Doctorum hominum, Sanctorumque judicio id affectus est, ut nihil in illis, nisi ex Verâ pietatis, & Catholicæ Religionis regula reperiat, nemo quiquam jure vocare possit in dubium.] Et de eodem S. Gregorio S. Thomas 1. p. q. 61. a. 3. in c. quantumvis ab ejus doctrina ibid. recedens, & sententiæ suæ certitudinem ob ejusdem Autoritatem limitans, ita scripsit. [Quamvis contrarium non sit reputandum erroneum, præcipue propter sententiam S. Greg. Naz. cujus tanta est in Doctrina Christiana autoritas, ut nullus unquam ejus dictis calumniam inferre præsumpserit, sicut nec Athanasij documentis, ut Hier. dicit] Cujusmodi testimoniis cum tam S. Thomas, quam alij Ecclesiæ Doctores, solummodo in Veritatibus Fidei, & bonorum morum, in fidissimos Duces proponantur, in Veritatibus autem Philosophicis, aut Theologicis purè speculativis,

ad mysteria fidei & bonos mores prorsus indifferenter, Summi Pontifices pro pastoralis sollicitudinis curâ nihil definiant, ac decernant, ideo Societas nostra, in secunda Regula Professorum Theologiæ, obligationem sequendi Sententias S. Thomæ his Verbis attemperavit, securâ ab omni suspitione falsitatis: [Sequantur nostri omnino in Scholastica Theologia doctrinam S. Thomæ, cumque ut Doctorem proprium habeant: ponantque in eo omnem operam, ut Auditores erga illum quam optime afficiantur. Non sic tamen S. Thomæ adstricti esse debere intelligantur, ut nullâ prorsus in re ab eo recedere liceat.] Quam regulam exactissime à P. Haunoldo observatam esse; satis ex ipso S. Doctore (quod unice videbam exigi) me ostendisse confido.

430. Adversarium verò miror tandem etiam suas Theſes judicio aliorum submittere hoc Epilogo. [An Theſes præmissæ, in puris, utpote Angelici Thomæ Dogmatibus inconcussis, & tutissimis fundatæ, potius, quam Haunoldus, mentem Anquinatis attigerint, aliorum judicio, alienis impressionibus non preoccupato, relinquatur censendum.] Cur enim paulò antè has ipsas suas Theſes, veluti proprias S. Thomæ sententias à P. Haunoldo jam approbatas indubitanter asseveravit? Cur per frequenter in principio, vel in fine Theſium Asperis Censuras sibi ipsi toties Epinicium cecinit? Quomodo denique ex ipsius Theſibus lector sincerum judicium feret, nisi audiat & altera pars? Solam quippe plerumque P. Haunoldi Conclusionem, aut Rationem subinde, quam putaverat se impugnare posse, nudissime retulit: quomodo autem intra Sedecim Folia, integris Voluminibus comprehensa Fundamenta referre, Responsiones reponere, Argumentorum suorum præoccupatas Solutiones stabilire potuisset? Cum mihi bene longo Tractatu opus fuerit, ut ad omnes & singulos Adversarij textus ex S. Thomæ congestos, omnesque ejus propositiones, pauculis foliis conclusas, expeditam Solutionem, & ejusdem ex Angelico Doctore confirmationem, integrè ac fideliter redderem. Quod officium sicut meo plurimum Venerando Magistro, propter innumera beneficia, & Theologicam doctrinam, quadriennali instructione ex ipso haustam, nunquam satis exolvendo, gratitudinis titulo debebam; ita spero, meo in litteraria concertatione Adversario, de cetero autem Colendissimo, & Amantissimo Patri, non Ingratum, imò, ut ipse in fine Præfationis suæ præmonuerat, Exoptatum fore.

Omnia ad Majorem DEI Gloriam.

SYL-